PHILOSOPHIÆ INSTITUTIONES

A

F. JOSEPHO ARCHANGELO

A FRACTA MAJORI

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

EX PROBATIS AUCTORIBUS SELECTÆ

ATQUE

IN RELIGIOSAE PRAESERTIM JUVENTUTIS

COMMODUM EDITAE

TOMUS II.

ONTOLOGIAM ET COSMOLOGIAM

CONTINENS

EDITIO SECUNDA.

NEAPOLI MDCCCXXX.
Ex Typographia Jo: Rusconi
Via S. Annae Lombardorum N° 37.

Superiorum Facultate.

Ad Rempublicam plurima veniunt commoda, si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia: hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt laus, honor, dignitas confluit.

Tullius Lib. 1. de Invent.

IN METAPHYSICAM PROLEGOMENA

METAPHYSICAE NOMEN, ET OBJECTUM.

§. 1. METAPHYSICA ex graecis vocabulis *Meta ta physica*, latine idem est ac *scientia praeter*, *vel supra Physicam*, *et Naturam*, quia omnem naturam materialem, et corpoream praetergressa, pura rationis naturalis acie, ad entia immaterialia, et sensibus externis impervia, contemplanda assurgit.

§. 2. *Schol.* Porro entia immaterialia vel talia sunt *natura sua*, veluti *Deus*, *Angeli*, *Anima humana*; vel talia sunt *per mentis abstractionem*, uti sunt omnia *universalia*, et *abstracta*; atque utroque sensu Metaphysicae objectum constituunt, quod per quam latissime patet. Quo factum est, ut nonnulli Metaphysicam, *scientiam universalium* appellarint; *Philosophiam primam*; imo *Principium*, *et omnium scientiarum fundamentum*. « Certe, *scribit Storchenau* (*Metaph.*
» *Lib. 1. Prolog. Schol. III.*) in physicis, in moralibus,
» in ea quae subliimiora scrutatur mysteria Theologia, in
» Jurisprudentia, in therapeutica sine metaphysicis prin-
» cipiis nihil recte suscipi, neque magnam fieri pro-
» gressionem in aperto est, quando hae disciplinae ani-
» mum in ratiociniis, principiorum generalium ope con-

« texendis egregie exercitatum, et notionibus universalibus entis, substantiae, corporis, ejusque elementorum; tum specialioribus, spiritualitatis videlicet, immortalitatis, ac libertatis animae humanae, existentiae denique, providentiae divinae, ideis imbutum requirunt ».

Metaphysicae definitio.

§. 3. *Metaphysica est scientia theoretica, quae de Ente, atque Mundo in genere agit, rebusque spiritualibus, ac materia expertibus.*

§. 4. *Coroll.* Scientia itaque isthaec aliis omnibus sublimior est, atque praestantior; est namque de rebus non vulgaribus, sed de sublimibus, et reconditis. Quare 1. summo studio, atque labore excolenda est. 2. Veritates, quae in ea proponuntur debent adcurate demonstrari; aliae nempe ex aliis deduci (§. 11. Log.); Metaphysica namque est scientia (§. 1.); 3. Abstractio debet in ea locum habere; est namque de notionibus universalibus, quae abstractione efformantur (§. 68. Log.); non ita tamen, ut sensuum, et experientiae penitus obliviscamur, ne chimeram pro realitate assumentes, in phanatismum incidamus. Nam notiones universales sunt quidem abstractae, at nonnisi ex singularibus deducuntur: et hae per sensus et experientiam habentur. Ut proinde dicere possimus, Metaphysicam, quoad notiones universales, immediate niti abstractione, mediate vero sensibus, et experientia.

Metaphysicae divisio.

§. 5. Quoniam Metaphysica agit de Ente, atque Mundo generatim spectato; nec non de rebus immaterialibus (§ 3.); cumque inter res immateriales, aliae sint factae, uti *anima humana*, aliae vero non, uti *Deus*; hinc non immerito a Recensioribus in quatuor partes dividitur; nempe in *Ontologiam*, quae Ens in genere, ejusque generales affectiones contemplatur; 2. in *Cosmologiam*, quae eas respicit affectiones, quae

huic Mundo generatim conveniunt: 3. in *Psychologiam*, quae animae humanae proprietates expendit; 4. in *Theologiam naturalem*, quae de Deo agit, ejusque attributis. De singulis, ea qua fieri potest, claritate simul, et brevitate verba faciemus.

METAPHYSICAE PARS I.

NEMPE

ONTOLOGIA

Ontologiae nomen, et definitio.

§. 6. Ontologia secundum nomen, nihil est aliud quam *sermo de Ente*. Derivatur enim ex graecis vocabulis *Ontos*, latine *Ens*, et *Logos*, latine *sermo*. Definitur autem quod sit *ea Metaphysicae pars, quae de ente in genere, ejusque generalium affectionum pertractat*. Jure itaque meritoque Ontologia principem locum obtinet in Metaphysica, ut propterea *Philosophia prima* fuerit proprie appellata. *Nam in omni ordine doctrinae*, ait Scotus (Lib. 1. Phys. q. 1.) *procedendum est ab universalioribus ad minus universalia*, quod praestat Ontologia; quippe quae de universalioribus est.

Ontologiae divisio.

§. 7. In entibus tria considerari possunt; 1. nempe eorum principia; 2. entia ipsa; 3. tandem variae eorum affectiones, seu proprietates. Quare tribus Sectionibus Ontologiam absolvemus. In 1. Entium principia; in 2, Entia ipsa; in 3. denique varias ipsorum affectiones, seu proprietates examinabimus. Sit propterea

SECTIO I.

De generalibus rerum principiis.

§. 8. *Def.* 1. Rei nomine, hic generaliter intelligitur, quidquid vel est, vel fuit, vel futurum erit, quocumque loco, tempore, et modo concipiatur.

§. 9. *Animad.* Acturi de Entium principiis, entis vocabulum cum nomine rei confundimus, atque pro eodem usurpamus. Infra, quae de Ente propria sunt, distincte exponemus.

§. 10. *Def.* 2. *Principium est id, a quo aliquid, quocumque modo, procedit* (S. Thom. I. q. 23. 1.). Quod vero a principio procedit, usitato a Scholasticis vocabulo, *principiatum* dicebatur, nunc nonnullis placet appellare *productum.*

§. 11. *Schol.* Duplex principium Veteres agnoscebant, *cognoscitivum* unum, *effectivum* alterum; verum Recensiores, maxime post Leibnitium, et Wolfium, aliud admittunt, quod vocant *rationis sufficientis.* De quibus, quae scitu necessaria sunt, distinctis capitibus explicabimus.

CAPUT I.

De Principio cognoscitivo.

§. 12. *Def.* 1. Principium cognoscitivum, in genere, dicitur illa propositio certa, et evidens, ex qua aliae deducuntur veritates, quae per illam demonstrari possunt.

§. 13. *Def.* 2. Principium vero cognoscitivum proprie sumtum, hic nobis, est propositio in serie veritatum prima, quae aliis intelligendis facem praefert, et ad quam veritates omnes ita referri possunt, ut vel ipsa etiam axiomata, si aliquem ea negare, vel in dubium revocare

contingerit, per illam, indirecte saltem, demonstrari possint.

§. 14. *Coroll. 1.* Principium ergo cognoscitivum, sive primum cognitionum nostrarum principium debet esse certissimum; est namque veritas in serie veritatum prima.

§. 15. *Coroll. 2.* Debet esse evidens, atque prorsus indemonstrabile. Si namque demonstratione indigeret, cum demostratio principiis certis, atque evidentibus inniti debeat ut certitudinem metaphysicam pariat (§. 304. Log.) darentur principia ipso certiora, atque evidentiora; non esset ipse propterea, primum principium; nec aliis intelligendis facem praeferre posset.

§. 16. *Coroll. 3.* Adaequatum quoque esse debet. Per ipsum enim veritates omnes demonstrari possunt; et ad ipsum, etiam axiomata reducuntur.

§. 17. *Coroll. 4.* Tandem necessarium sit oportet, numquam scilicet falsitati obnoxium, sed semper verum.

§. 18. *Schol.* Multa dari cognitionum nostrarum principia, ignorat nemo. Nota quippe, et vulgatissima sunt ista, et sexcenta alia I. *Quodlibet vel est, vel non est.* II. *Non potest idem simul esse, et non esse.* III. *Ego cogito; ergo sum.* IV. *Nemo dat quod non habet.* V. *Ex nihilo nihil fit.* VI. *Operari sequitur esse etc.* At quodnam sit primum principium, variae sunt

Philosophorum sententiae.

§. 19. Aristoteles cum suis, primum cognitionum nostrarum principium dixit axioma illud vulgatissimum; *Impossibile est idem simul esse, et non esse*; quod *contradictionis principium* appellari solet, propterea quod, duarum propositionum sibi mutuo contradicentium, necessariam unius veritatem, et alterius falsitatem statuat; vel etiam contumaces sibimetipsis contradicere ostendit, cum aliquid, quod illi negaverint, per hoc principium indirecte demonstretur. Ab Aristotele recedunt Cartesius, et Cartesiani; Ille namque primum principium cognoscitivum hoc asseruit. *Ego cogito; ergo sum*; isti vero hoc aliud; *Quidquid in idea clara, et distincta rei*

alicujus comprehenditur, id de ea re affirmari potest, Verum Recensiores fere omnes Aristotelem sequuntur. Quid autem nos faciemus, ex sequentibus patebit.

THEOREMA I.

Contradictionis Principium certissimum est, atque evidentissimum.

§. 20. *Demonst.* Nam primo intuitu, et sine ulla demonstrationis ope quisque comprehendit, rem aliquam, dummodo est, fieri non posse, ut simul, non sit. Esse namque, et non esse simul adeo invicem opponuntur, ut unius inclusio ferat necessario exclusionem alterius; idque adeo dilucide, ut nullus relinqui possit dubitandi locus; Ergo etc.

§. 21. *Coroll. 1.* Principium contradictionis negari nequit, est namque certissimum, atque evidentissimum (§. 20.); imo si negaretur, hoc ipso magis, magisque confirmaretur. Et sane, si principium contradictionis negaretur, ideo negaretur, quia falsum putaretur; supponitur ergo, falsum, verum simul, et eodem in actu esse non posse; proindeque confirmatur, non posse idem simul esse, et non esse; nempe principium contradictionis.

§. 22. *Coroll. 2.* Nec etiam in dubium revocari potest; quae enim certissima, atque evidentissima sunt, in dubium revocari nequeunt.

THEOREMA II.

Contradictionis Principium est adaequatum.

§. 23. *Demonst.* Nam ab ipso veritates tam necessarias, quam possibiles, et impossibiles, veluti ex fonte mens haurit. Et quod ad veritates necessarias attinet; ideo dicimus aliquid necessarium, quia ejus extrema ita connectuntur, ut aliter esse non possint (Log. §. 157)

Ita in hoc axiomate: *Totum est sua parte majus*, inde colligitur, necessario totum partem suam superare, quia si oppositum fieri posset, totum esset totum, et simul non esset; esset quidem, ut supponitur; non esset autem, quia parti aequaretur, quod apertissime repugnat. Idipsum dices de aliis. Quoad verò possibiles, et impossibiles veritates, res est manifesta quamquod maxime. Nam ideo quidpiam possibile comprehendimus, quia contradictionem non involvit; et ideo aliquid impossibile dicimus, quia contradictionem continet; quod scilicet si statueretur, idem de eadem re affirmaretur, et negaretur, quod repugnat. Ergo etc.

§. 24. *Coroll.* Principium ergo contradictionis universale dici potest; et quidem, ut eo sublato veritas omnis intercidat. Nam si fieri posset, ut idem simul, et eodem in actu sit, et non sit, quisnam supererit veritati locus?

THEOREMA III.

Contradictionis Principium est necessarium.

§. 25. *Demonst.* Propositio necessaria illa dicitur, in qua extrema ita connectuntur, ut aliter fieri sit impossibile (§. 157. Log.); Atqui hujusmodi est contradictionis principium; Ergo etc. Prob. min. Contradictionis principium non potest negari (§. 21.), neque in dubium revocari (§. 22.); Ergo etc.

PROPOSITIO

Axioma illud: Impossibile est idem simul esse, et non esse, est primum cognitionum nostrarum Principium.

§. 26. *Demonst.* Nam in eo axiomate omnia insunt primi principii cognoscitivi requisita; Ergo etc. Prob. ans. Axioma illud, sive contradictionis principium, est 1. certissimum (§. 20.); atque evidentissimum. Adaequatum (§. 21.), et necessarium (§. 22.); Sed haec omnia sunt requisita ad primum cognitionum nostrarum principium (§. 14. et seq.); Ergo etc.

Audiuntur adversarii.

§. 27. *Objic. 1.* Primum principium cognitionum nostrarum, nullum principium ante se supponit; Atqui contradictionis principium, aliud prius se principium supponit; Ergo falsa propositio. Prob. min. Propositio composita supponit propositionem simplicem seipsa priorem: Atqui principium contradictionis est propositio composita; Ergo etc.

§. 28. R. dist. maj. Propositio etc., uti est propositio, conc. maj.; uti est principium demonstrationis, n. maj. Atqui etc., conc. min, in data distinctione, et dist. cons. Contradictionis principium aliud prius se principium supponit, si consideretur uti propositio composita, conc., si consideretur uti principium, n. consm. Cum propositio composita ex simplicibus propositionibus efformetur, nulli dubium esse poterit, quod si uti propositio composita est inspiciatur, dici possit posterior ad propositionem simplicem. At nos hic principium contradictionis, non uti est propositio composita consideramus, ut posterius illud propositione simplici dici possit, sed uti principium demonstrativum, quo sensu dicimus ita

esse primum, ut nullo alio indiget, ut demonstrari possit, per ipsum autem alia ostendi possunt.

§. 29. *Contra.* Atqui Contradictionis principium etiam inspectum uti principium, est posterius aliqua simplici propositione; Ergo n. r. Prob. subsm. Propositio haec: *Quodlibet, dum est, est*, certe propositio est simplex; Sed haec in ratione principii, illud, quod contradictionis dicitur, praecedit; Ergo etc. Prob. min. Principium contradictionis, ex allata propositione, optime deduci potest, hoc modo: *Quodlibet, dum est, est; ergo non potest aliquid esse simul, et non esse*; Atqui id, ex quo aliud deducitur, est prius isto; Ergo etc.

§. 30. R. dist. maj. Principium etc., deduci potest deductione fallaci, et vitiosa, conc., deductione recta, n. maj. Atqui etc., dist. min. Atqui id ex quo aliud deducitur recte, etc., conc.; vitiose n. min. Ergo etc., n. consm. Recta certe non est, sed vitiosa supradicta adversariorum argumentatio; loborat namque petitione principii; nam in antecedenti supponit contradictionis principium, quod est in quaestione. Quomodo enim affirmari potest, *quodlibet, dum est, esse*, nisi prius pro certo supponatur, *fieri non posse, ut aliquid simul sit, et non sit*? Aliunde vero ex principio contradictionis, illud aliud principium, indirecte saltem demonstratur, hoc pacto: Si aliquid dum est, non esset, posset idem simul esse, et non esse; sed hoc per principium contradictionis repugnat; Ergo quodlibet, dum est, necessario est. Nullum ergo principium se prius, contradictionis principium agnoscit.

§. 31. *Contra.* Atqui principium illud: *quodlibet dum est, est*, contradictionis principium antecedit, itaut per istud ostendi non possit; Ergo n. r. Prob. subsm. Principium contradictionis est propositio negans; principium vero illud: *quodlibet, dum est, est*, est propositio affirmans; Atqui ex propositione negante inferri nequit propositio affirmans; Ergo etc.

§. 32. R. admittendo. maj., dist. min.: Atqui etc. directe, conc., indirecte, seu reductione ad impossibile, et absurdum, n. min., et consm. Nemini dubium esse poterit, propositionem affirmantem ex negante di-

recte inferri non posse. Hinc certe falso concluderet si quis ita argumentaretur: Accidens non est substantia; Sed omnis substantia non est corpus; Ergo accidens est corpus. At si de argumentatione indirecta, et redargutiva loquimur, optime propositio affirmans per propositionem negantem demonstrari potest, quatenus nempe, non admissa illius propositionis affirmantis veritate, aliquid oriretur absurdum, ut exemplo in superiori responsione allato, evidentissime ostensum est.

§. *33. Objic.* 2. Primum cognitionis principium debet esse universalissimum; Atqui tale non est contradictionis principium; Ergo falsa Propositio. Prob. min. Illa propositio non est omnium universalissima, quae non negat omne medium inter ens, et non ens; Atqui tale est contradictionis principium; Ergo contradictionis principium non est omnium universalissimum. Prob. min. Principium contradictionis negat tantum medium per participationem; non per exclusionem; Ergo non negat omne medium.

§. 34. R. dist. ans.. Principium etc., et aliunde in contradictoriis medium per participationem inter ens, et non ens, et medium exclusionis sunt unum, et idem, conc. ans; secus, n. ans, et consm. Ad intima Scholasticorum penetralia, nos vel invitos compellere conantur adversarii. Itaque eorum morem geramus oportet, dicamusque propterea, in contradictoriis, medium participationis idem esse cum medio exclusionis: nimirum cum dicitur aliquid de aliquo, simulque illud negatur, inter istam affirmationem, et negationem nullum reperitur medium, sed quodcumque excluditur; vel enim talis est, vel non est talis res illa, de qua idem affirmatur, et negatur: Sic vel homo est albus, vel non est albus; inter haec duo nullum certe reperitur medium. Jam vero dicendo: *Impossibile est idem simul esse, et non esse*, dicitur etiam implicite vel esse debere rem talem, vel non talem. Et sane, ostendi potest per contradictionis principium; aliquid debere esse tale, vel non tale, quia hoc negato, posset aliquid non susl tale, et tamen esse tale; edeoque posset idem sieme esse, et non esse, quod repugnat. At haec subtilia qui-

dem sunt, sed aeque inania, atque futilia; proindeque thesim nostram infirmare non valent.

§. *35. Contra.* Atqui inter affirmationem, et negationem; sicuti etiam inter aliquid esse, et non esse tale datur aliquid medium, quod non excluditur a contradictionis principio; Ergo n. r. Prob. subsm. Inter visum, et negationem ipsius, qualis est in lapide, datur medium per exclusionem inter utriusque extrema, uti est caecitas; Ergo etc.

§. 36. R. dist. ans. Et principium contradictionis hoc quoque medium excludit, conc., secus, n. ans.; Ergo etc., nego consm. Inter visum, et ejus negationem, quae est, ex. gr., in lapide, medium reperitur, caecitas nempe, quae neque est visus, neque ipsius negatio, sed ejusdem privatio, qualis in pluribus hominibus infeliciter invenitur. At contradictionis principium ad hoc quoque medium se extendit. Cum enim dicitur: Impossibile est hominem videre simul, et non videre; habere visum, et ipso carere, utique id impossibile asseritur sive per negationem, sive per privationem visum non habeat, semperque manet repugnantia; quod videat simul, et non videat, visu donetur, ac ipso simul destituatur.

§. *37. Contra.* Atqui contradictionis principium ad medium non se extendit, quod inter esse, et non esse tale intercedere potest · Ergo n. r. Prob. subsm. Si extenderetur, ex quo aliquid esset tale, et non esset, inferri posset esse simul, et non esse tale: Atqui id inferri nequit; Ergo etc. Prob. min. Ex quo aliquis neque sit albus; neque niger, inferri nequit esse simul album, et nigrum; ergo a pari, etc.

§. 38. R. conc. ans, n. consm. cum paritate. Nam ideo ex quo aliquis neque sit albus, neque niger, non recte inferri potest esse simul album, et nigrum, quia albedo, et nigredo contrarie tantum, vel privative inter se opponuntur. Sane inter albedinem, et nigredinem alii colores reperiuntur tum primitivi, cum secundarii, puta *ruber*, *flavus*, *caeruleus*, *violaceus*, aliique mixti. Ast inter ea, quae contradictoria sunt, nullum reperitur medium, quod per contradictionis principium non

excludatur. Sic aliquis non potest esse albus, et non albus, eodem in tempore, sed vel debet esse albus, vel non albus.

Objectiones aliae soluta oratione.

§. 39. Ac primo quidem. Multa sunt, quae principio contradictionis non indigent, ut demonstrentur; uti sunt ea omnia, quae per experientiam certo, et evidenter nobis constant; Igitur principium contradictionis non est universalissimum; adeoque etc.

Secundo. Principium illud Cartesianorum: *Quidquid in idea clara, et distincta alicujus rei relucet, id tuto de ea affirmari potest*, nullo modo pendet a contradictionis principio, sed potius istud ab illo dependet; ideo enim veritas principii contradictionis asseritur, quia clare, et distincte agnoscimus repugnare, quod idem simul sit, et non sit.

Tertio. Plures veritates nobis certo, et evidenter innotescunt, quin ad contradictionis principium, ne tantillum quidem, respiciamus; Ergo non omnes veritates ab ipso pendent.

Quarto tandem, ne taedio simus. Principium contradictionis est notio universalis, et abstracta, atqui notiones istae a particularibus pendent, et ex harum antecedenti cognitione efformantur; Ergo etc.

§. 40. R. Ad singulas, et ad 1. dist. ans. Multa etc. directe, conc., indirecte, n. ans; Ergo etc., n. consm. Quae experientia ipsa nobis constant, utique ita certa sunt, et evidentia, ut nullo principio positive, et directe ostendi possunt. Verum si quis eo dementiae, et pertinaciae deveniret, ut neque ipsi experientiae adquiesceret, quaeque ipsa docente affulgent, imperterrita fronte negaret, indirecte per contradictionis principium ipsius pertinacia confringi posset. Si enim, quae ita esse observamus, ita certa non essent, possent aliter esse ac sunt; atqui impossibile est rem aliter esse simul ac est, ob contradictionem; igitur impossibile est vera non esse,

quae ita esse experientia comprobantur. Indirecte igitur, etiam quae experientia constant, per contradictionis principium, ostendi possunt, atque firmari.

Ad II. Principium illud. *Quidquid in idea clara et dist. etc*: signum quidem est veritatis, non vero primum cognitionis principium, a quo contradictionis principium dependeat; quinimo prout universaliter dicitur: *Quidquid in idea clara, et distincta etc.*, haec universalis propositio a contradictionis principio omnino dependet, et per istud ostendi potest, quomodo enim certa esse poterit, nisi supponatur, ideam claram, et distinctam non posse simul esse obscuram, et confusam? hoc autem supponi non potest, quin constituatur prius contradictionis principium, ut per se patet; Ergo etiam tale principium, prout universaliter enunciatur, a contradictionis principio dependet.

Ad III. Laudatum argumentum id solum probare dicimus, principium nempe contradictionis non esse primum ordine cognoscendi, quod admittimus, non vero ordine demonstrationis redargutivae. Licet namque nonnullae veritates cognoscuntur, quin de contradictionis principio cogitemus, fac quod istae veritates ab aliquo obstinate pernegentur, aut in dubium ponantur, ad contradictionis principium semper erit recurrendum, ut stabiliantur.

Ad IV. tandem, dist. min. Notiones, etc. a particularibus pendent, ut cognoscantur, conc., ut earum veritas firma consistat, n. min., et consm. Cum mens in ideis efformandis a sensibus dependeat, utique res prius particulares, et sensibiles percipit, deinde abstrahendo, universales conceptus efformat, ac principia universalia componit (§. 68. Log.). Quid vero istud probat? Hoc unum solummodo; scilicet principia universalia, ut a mente cognoscantur, ab anteriore particularium rerum perceptione dependere; non autem propriam veritatem ab ipsis mutuari, adeo ut nisi ipsae res particulares adessent, earum veritas peritura foret. Licet enim nulla particularia objecta existerent, aut agnoscerentur, semper in se vera essent haec principia: *Impossibile est etc.*

Totum est sua parte majus, et cetera hujusmodi; Adeoque etc. (*a*).

CAPUT II.

De principio effectivo, sive de Caussis in genere.

§. 41. *Animad.* Principium effectivum *caussa* vulgo appellari solet; imo non raro quodlibet principium pro caussa usurpatur, et caussa cum principio confunditur. Qua de re Veteres Graeci Patres, Patrem aeternum caussam esse filii dicere non dubitarunt, non quod revera crediderint, Filium alium esse natura a Patre, et Patris facturam, sed quod Pater sit principium Filii. *Non tamen intelligendum est*, ait Angelicus Doctor (Opusc. 1.), *quod Sancti praedicti qui nomine caussae, et caussati utuntur in Divinis personis, intendunt diversitatem naturae inducere, aut Filium esse creaturam. Sed per hoc volunt ostendere solum originem personarum, sicut nos nomine principii.* Verum

§. 42. *Def. 1. Caussa* proprie dicta *est principium activum, quod in se rationem continet sufficientem existentiae alterius a se rei.* Caussae productum, seu id quod suae existentiae rationem habet in caussa, dicitur *effectus*.

§. 43. *Coroll. 1.* Ad caussam ergo duo requiruntur, 1. ut realiter agat, et effectum producat; 2. ut effectus, saltem numero, a caussa distinguatur. Quare.

§. 44. *Coroll. 2.* Caussa confundenda non est cum simplici principio. Ad principium namque sufficit, ut aliquid ab eo, quocunque modo pendeat (§. 10.). Ad

(a) Qui alia desiderat consulere poterit Laurentium Duhan de rebus Metaph. Q. III. pag. 271. Josephum Antonium Ferrari Ontolog. disp. 2. q. unica. P. Josephum Tamagna Ontol. Art. IV. pag. 131. Carolum Josephum a S. Floriano Ontol. Lib. I. Sect. I. Art. 2. Storchenau Ontol. Sect. I. Cap. I. Jacquier Metaph. P. I. Cap. 1. Art. 1.

caussam vero requiritur omnino, ut rationem contineat sufficientem rei existentis. Unde.

§. *45. Coroll. 3.* Omnis Caussa dici potest principium, non vero omne principium dici potest caussa. Merito itaque apud Latinos praesertim, Pater in Divinis dicitur quidem principium, at non caussa Filii.

§. *46. Coroll. 4.* Omnis ergo caussa prior est effectu suo, et effectus posterior caussa, hic enim ab illa dependet, ut existat; Hinc.

§. 47. *Coroll. 5.* Nullus effectus, nequidem fingi potest sine caussa sua efficiente; nec sui met caussa; nam esset simul caussa et effectus, prior et posterior, quod repugnat.

§. *48. Schol.* Triplicem prioritatem agnoscunt Eruditi; atque primam vocant *temporis*, estque illa, quam in humanis habet *Pater* respectu *Filii*; secundam *originis*, et illa, quam habet *Pater aeternus* in Divinis, respectu *Filii*, nec non *Pater*, et *Verbum* respectu *Paracliti*. Nam etsi hae tres Personae sint omnes coaeternae, neque una sit caussa alterius, tamen quia *Verbum* originem habet a *Patre*, et *Paraclitus* ab utroque, hinc *Pater*, ratione originis, prior est *Filio*, et uterque prior *Paraclito*. Tertiam prioritatem appellant *caussalitatis*, et est illa, quam habet *sol* respectu *lucis*; quamvis enim Sol lucem tempore non antecedat, illam tamen, ut caussa praecedit.

§. 49. *Animad.* A caussa distinguenda est maxime illa, quae dicitur *conditio sine qua non*; Haec namque necessario quidem requiritur ut effectus producatur, at rationem sufficientem existentiae illius non continet, quemadmodum caussa (§. 42.).

§. *50. Schol.* Caussa varie dividitur a Philosophis; nempe in *efficientem*, *finalem*, *materialem*, et *formalem*. De quibus sigillatim.

CAPUT III.

De caussa efficiente, variisque ipsius speciebus.

§. 51. *Def.* 1. *Caussa efficiens est illa, quae propria actione, atque vi effectum aliquem producit.* Ita Deus caussa efficiens dicitur omnium rerum creatarum.

§. 52. *Animad.* *Agere* est efficere ut aliquid sit, quod antea non erat. Ita sculptor qui statuam efformat, quae antea non extabat, dicitur agere. Ejus abstractum dicitur *actio*, cujus oppositum, est *passio*. Facultas agendi dicitur *potentia*; potentiae autem exercitium, quod efficit ut actio existat, appellatur *vis*, aut *vis effectrix*, *vis agendi*, *vis activa*.

§. 53. *Coroll.* 1. Caussa efficiens vi activa praedita esse debet, hac enim destituita, effectum non produceret. Quare.

§. 54. *Coroll.* 2. Quod vi effectrice caret, caussa esse nequit.

§. 55. *Coroll.* 3. Inter effectum, et ejus caussam aliqua connexio dari debet; ille namque in ista rationem habet sufficientem suae existentiae (§. 42.). Itaque.

§. 56. *Coroll.* 4. Quilibet effectus in sui caussa efficiente contineri debet; Adeoque.

§. 57. *Coroll.* 5. Nihil est in effectu, quod in sui caussa non contineatur; Hinc effectus perfectior, et nobilior sua caussa totali esse nequit.

§. 58. *Animad.* Tripliciter effectum in sua caussa contineri posse, docent Philosophi, *formaliter* nempe, *virtualiter*, atque *eminenter*. Continetur effectus in caussa formaliter si talis in ea continetur, qualis est in se, uti fructus in arbore; Virtualiter vero continetur, cum licet non contineatur uti est in se; caussa tamen vim habet illum producendi; ita vinum, licet frigidum, in illis ipso abutentibus calorem producit. Continetur tamen eminenter, quando quod est in effectu, perfectiori quodam modo in caussa sua continetur. Ita

omnes omnino perfectiones, quae in singulis creaturis reperiuntur, in Deo continentur. (Log. §. 117.).

§. 59. *Schol.* Caussa efficiens considerari potest vel uti actu agens, et dicitur *in actu*, vel ut potens agere, et dicitur in *potentia*. Atque haec insuper si omnia habet ad agendum requisita, dicitur *in potentia completa*, sive *in actu primo proximo*; si aliqua tantum, in potentia *incompleta*, seu *in actu primo remoto*. Porro haec caussa afficiens completa multiplex est, *libera* nempe, et *necessaria*, *univoca*, et *aequivoca*, *principalis*, *instrumentalis*, et *occasionalis*.

§. 60. *Def.* 2. *Caussa efficiens libera est illa, quae licet omnia habeat ad agendum requisita, potest adhuc non agere. Caussa* vero *necessaria illa dicitur, quae positis omnibus ad agendum requisitis, nequit effectum non ponere.* Ita ego sum caussa libera hujus operis, si enim noluissem, non scripsissem; corporum vero gravitas est caussa necessaria corporum tendentiae ad centrum, quia posito corpore supra Telluris superficiem, necessario effectus ille sequi debet. Hinc.

§. 61. *Coroll.* 1. Caussa necessaria semper agit quantum potest. Nam positis ad agendum requisitis, sicuti liberum ei non est agere, vel non agere (§. 60.); ita nec liberum ei est, ut modo plus, modo minus agat. Unde.

§. 62. *Coroll.* 2. Caussa necessaria, modo eadem habeat ad agendum requisita, temporibus aequalibus, aequales producit effectus. Quare.

§. 63. *Coroll.* 3. Ex iisdem caussis necessariis, in iisdem circumstantiis, iidem nascuntur effectus, ex similibus similes.

§. 64. *Def.* 3. *Caussa univoca est illa, quae effectum producit ejusdem essentiae, vel speciei; Æquivoca vero, quae diversae essentiae gignit effectum.* Ita Pater est caussa univoca Filii; filius namque est ejusdem speciei ac pater; Deus vero est caussa aequivoca hujus Mundi; Mundus enim diversae est speciei ac Deus. Caussa univoca dicitur quoque *particularis*, *universalis* vero aequivoca.

§. 65. *Def.* 4. *Caussa principalis est illa, quae*

vi propria, ac veluti princeps effectum producit; Instrumentalis vero illa, qua caussa principalis utitur ad effectum ponendum; tandem occasionalis est illa quae, licet vim non habeat aliquid efficiendi, praebet tamen caussae principali occasionem ad agendum. Ita caussa principalis homicidii, ex. g., est *homicida*, instrumentalis *gladius*, occasionalis *rixa*.

§. 66. *Schol.* Caussa principalis dividitur in *primariam*, seu *primam*, et *secundariam* sive *secundam*. Et illa quidem prima dicitur, quae a se, et absque ulla dependentia ab alia caussa effectum gignit; ista vero in effectuum productione a prima dependet. Hinc.

§. 67. *Coroll.* Caussae secundae si agunt, nonnisi dependenter a prima agunt; tantumque in agendo virium habent, quantum prima caussa eis concedit. At dantur ne hujusmodi caussae secundae, quae vi vere effectrici praeditae sunt, quaeque non occasionaliter, sed per propriam virtutem operantur? id est, quod modo explanandum suscipimus, et de quo variae sunt

Philosophorum sententiae.

§. 68. Nonnulli ex Veteribus Philosophis fuere, qui putarunt, creatas res nulla vi activa esse praeditas, nec proinde caussas vere efficientes dici posse, omnium vero effectuum, qui conspiciuntur in hoc Mundo, solum Deum caussam esse. Hos inter Arabes Peripatetici adnumerantur. Quorum sententiam, antiquitate fere penitus absumtam, Renatus Cartesius veluti e cineribus excitavit, cum docuit, solum Deum, vi agendi esse praeditum, creaturas vero solummodo caussas occasionales esse. Cartesii sententiam Cartesiani fere omne amplexati sunt, unde et Occasionalistarum nomine insigniuntur; et praecipue inter alios Nicolaus Malebranchius, et Antonius Legrand, quos secuti fuerunt quotquot Philosophi post Malebranchium in Gallia floruere, a quibus nec ipse Augustinus Calmet dissentire videtur, ut nihil dicam de Diderot, et Abate Parà. Nec defuerunt Itali Occasionalistarum fautores. Verum quid nos de hac re sentiemus, mox patebit. Interim pro majori firmitate sit.

§. 69. *Postulatum 1. Homo primus a Deo conditus fuit ut ageret, atque operaretur.* Ex historia enim creationis primi Parentis id luculentissime patet. Legitur enim ibi (Gen. 2.) : *Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in Paradisum voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum.*

§. 70. *Postul. 2. Deus res cunctas ita efformavit, ut unaquaeque effectus sibi proprios, et correspondentes produceret.* Nihil luculentius in libro citato (Cap. 1.) ; nihilque continua, atque ineluctabili experientia evidentius.

THEOREMA I.

Vis efficiens rebus creatis non repugnat.

§. 71. *Demon.* Nam vis efficiens in rebus creatis est vis dependens (§. 67.) atque finita ; Sed quod est finitum, et dependens creatis rebus inesse potest ; Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA II.

Deus vim efficientem creatis rebus dare potuit.

§. 72. *Demon.* Nam vis efficiens creatis rebus non repugnat (§. 71.) ; Jam vero quod non repugnat, fieri potest a Deo, utpote omnipotenti ; Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA III.

Deus vim effectricem creatis rebus donare debuit.

§. 73. *Demon.* Deus voluit Creaturas, effectus suos producere (§. 69. 70.); Atqui sine vi efficiente, creaturae nihil possent efficere (§. 53. 54.); Ergo etc. Deinde Deus miro prorsus, atque stupendo artificio corpus humanum efformavit, (§. 24. Log.), tot sensibus, et organis ornatum; totque partibus aptissime inter se connexis, eique animam copulavit intellectu, et voluntate praeditam. Sed Deus nihil agit frustra (§. 382. Log.): Ergo ut aliquos effectus produceret, taliter hominum efformavit; (idipsum, servata proportione, de aliis animalibus dicatur). Adeoque etc. Ulterius eam perfectionem debuit Deus creaturis communicare, qua ejus sapientia, et omnipotentia magis ostenditur, atque splendescit; Atqui vis efficiens talis perfectio est; Ergo etc. Prob. min. Vis efficiens est talis perfectio, quae reddit creaturas veras caussas efficientes, licet secundarias (§. 83.); Sed caussa vere efficiens, cum sit nobilior, atque excellentior caussa mere occasionali (excellentior quippe est machina, quae ita est fabrefacta; ut seipsam moveat, ac illa, quae moveri ab alio debet), magis Dei sapientiam, atque Omnipotentiam ostendit; Ergo etc. Tandem, ut de hominibus speciatim aliqua addamus, Deus hominem libertate praeditum creavit, qua efficere posset quidquid non excedens suas vires, vellet, et qua ille recte utens, quod nempe bonum est, agens, atque servans mandata ultimum suum finem consequeretur; Atqui sine vi effectrice haec consistere nequeunt, uti cuilibet vel primo intuitu innotescit; Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Deus vi effectrice voluit creaturas donare.

§. 74. *Demon.*; Nam si Deus noluisset Creaturas vi effectrice donare, actiones procul dubio ab eis non exigeret; Atqui exigit (§. 73.); Ergo etc. Prob. maj. Qui serio vult finem, et media quoque ad finem consequendum ponere debet; Sed vis effectrix est medium, quo creaturae operantur; Ergo si Deus voluit creaturas agere, vim effectricem quoque voluit eis donare; Adeoque etc. Q. E. D.

PROPOSITIO

Creaturae non sunt caussae pure occasionales, sed verae caussae, secundariae tamen, vi effectrice donatae.

§. 75. *Demon.* Nam vis effectrix creaturis non repugnat (§. 71.), et Deus non solum potuit (§. 72.); sed et debuit, (§. 73.), et voluit eam illis donare (§. 74.); Ergo et revera donavit; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 76. *Schol.* Allata demonstratio satis superque foret ad vim effectricem creaturis vindicandam; sed claritatis ergo sint haec pauca alia ex intima conscientia, vividaque, et constanti experientia deprompta. Et sane, nemo invenire est, in tota hominum universitate, qui in semetipso principium quoddam esse non persentiscat, quod nedum propria virtute percipiat, et liberrime velit, ut ex pluribus ideis sibi propositis, altera neglecta, alteram serio contemplari queat, et in ipso contemplationis aestu possit paulatim se se e contemplatio-

ne subducere, eamque etiam veluti protinus interrumpere, sed item quod corpus hoc, vi equidem sua agitet, atque infinitis modificet modis: *Sentit nempe animus*, aiebat Tullius (Lib. I. Tusc. Cap. 23.) *se moveri, quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri.* Ergo evidentissime patet, humanam mentem, non solum esse caussam suarum modificationum, praesertim liberarum, sed etiam vi pollere efficiendi modificationes in corpore, re nempe ab ipsa mente prorsus distincta. Igitur ex intima conscientia, creaturae vim habent vere effectricem. Neque aliter suspicari posse intelligemus, *modo*, ait Storchenau (Ontol.: Sect. III. C. IV. n. 148. Schol. 1.) « ad communia » hominum judicia animum advertat. Quis enim un» quam, solis fortasse Cartesianis exceptis, si tamen se» rio agant, dubitavit, homines, cum ambulant, opus » quoddam faciunt, aedificium extruunt: equos cum cur» rum trahunt; canes cum lupum a grege repellunt, ve» re, ac proprie agere? quis negat artificem sui esse ar» tefacti caussam, revere efficientem? an dum opus cu» juspiam laude, ac praemio dignum pronunciamus, so» lam illius bonam voluntatem respicimus? an ideo ali» cujus fortitudinem, continentiam, et quae similia sunt, » extollimus, quia is cupit esse fortis, continens? et non» ne denique omnes, vulnus homini inflictum, lapidi ex » alto decidenti; murorum ruinam globo ex tormento » ejecto: motum corpori, alteri majore celeritate in» currenti, concordi prorsus judicio tribuimus? Verum haec quae diximus magis, magisque constabilita manebunt, dum sequentia, et si quae erunt alia

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 77. *Objic. 1.* Creaturae nequeunt sibimetipsis existentiam tribuere; ergo a fortiori nec aliis illam concedere; Atqui si vi effectrice pollerent, aliis existentiam concederent; Ergo falsa propositio.

§. 78. R. conc. ans., et dist. 1. cons. A fortiori etc., ex nihilo prorsus illius, quod inde producitur, et per vim ita sibi propriam, ut in ipsis sit independens

illimitata etc., conc. consm., secus, n. consm., et dist. min. subsm. Atqui si etc., ipsae ex nihilo, et per vim independentem etc., aliis existentiam concederent, n. min. subsm., secus, conc.; Ergo etc., n. consm. Cum nos vim effectricem creaturis vindicamus, dicimusque eas revera agere cum agunt, non intelligimus, vim talem eis tribuere, ut possint aliquid ex nihilo penitus sui, et subjecti producere, uti supponunt adversarii; sed asserimus tantum, creaturas vi a Deo participata, et dependente aliquid posse per modificationem agere, Deique auxilio, et cum ejus concursu, subjectis jam existentibus novam formam, vel aliquam novam modificationem addere. Non ergo recte se habet paritas in argumento allata, quod nempe ex quo creaturae nequeant sibimetipsis existentiam tribuere, sint etiam insufficientes ad operandum; multum namque distat existere a se, et operari, quod nos creaturis concedimus; quippe existere a se, vim absolutam, et imparticipatam requirit, operari autem, quod nos creaturis tribuimus, exigit solummodo potentiam, et vim limitatam, quae creaturis non repugnat. Aliunde vero creaturae, antequam existant, nihil sunt; adeoque operari non possunt. Si ergo antequam creaturae existant nihil prorsus sunt, non possunt certe sibimetipsis existentiam tribuere, et ideo opus est ut aliqua caussa superior indipendens, et illimitata extra nihilum eas ponat. At vero cum operantur modo a nobis explicato, jam existentes sunt. Non itaque recte concludit adversariorum argumentum, cum disparitas summa versetur inter existere a se, et operari.

§. 79. *Contra.* Atqui creaturae nec etiam vi dependente, atque participata possunt aliquid efficere; Ergo n. r. Prob. subsm. Si creaturae per vim propriam una simul cum Deo ad effectus productionem concurrerent, effectus productus penderet eodem modo a Deo, et a creaturis; sed hoc est falsum, quia effectus a Deo pendet essentialiter, minime vero a creaturis; Ergo etc.

§. 80. R. dist. maj. Si creaturae etc., inspectis tamen Dei, et creaturarum actionibus in suo quoque ordine, conc.; absolute, et simpliciter loquendo, n. maj. Sed etc., dist. min., a Deo pendet *essentialiter*, et

simpliciter, a creaturis vero *essentialiter secundum quid*, conc.; secus, n. min.; Ergo etc. n. consm. Effectus producti, nihil vetat, quominus dicantur a Deo, et a creaturis essentialiter pendere; hoc tamen cum discrimine, quod a Deo, qui est prima, et simplicissima eorum caussa dependeant *primo*, *absolute*, et *simpliciter*, a creaturis vero pendeant quidem essentialiter, sed dependentia essentiali *secundum quid*; hoc est in hypotesi, quod suum esse a creaturis accipiant, quae vim eos producendi a creatore partipiant; vis enim in creaturis est limitata, et dependens. Unde effectus, qui a creaturis producuntur, licet a Deo, qui cum creaturis producit, pendeant *essentialiter*, *et absolute*, *essentialiter* quoque a creaturis dependent, sed solum *secundum quid*, quoniam Deus per vim creaturis traditam libere sinit, eas secum operari in effectus proctione.

§. 81. *Contra.* Atqui nec etiam dependentia essentiali secundum quid, effectus productus pendere potest a creaturis; Ergo n. r. Prob. sub: Quaecumque actio creaturarum praesupponit Dei actionem in effectum; Ergo creaturae aut actum agunt, aut nihil agunt; Adeoque etc.

§. 82. R. neg. ans. Nam actio, qua Deus influit in naturales effectus, qui intra sphaeram activitatis creaturarum reperiuntur; quique idcirco activitati creaturarum subduntur, non est nisi actio, qua Deus conservat creaturam in statu operantis, atque agentis. Haec autem conservatrix actio Dei, praecedere non potest tempore creaturae actionem; alioquin conservatio caderet supra id quod adhuc nan est; sed actionem ipsam creaturae comitatur; Atque idcirco concursus simultaneus appellatur. Quapropter creatura non agit actum, aut nihil, sed influit vere in effectum simul cum Deo.

§. 83. *Objic. II.* Deus est caussa perfectissima rerum omnium, atque omnia ipse operatur; Ergo excludit consortium cujuscumque alterius caussae; adeoque etc.

§. 84. R. Deus etc., dist. ans. Omnia ipse operatur immediate, n. ans., sive immediate per se, sive

mediate per caussas inferioris ordinis, conc. ans; Ergo etc., n. utramque consm. Cum Deus sit ens perfectissimum, prima proinde rerum omnium caussa, nullus certe vel minimus effectus in rerum universitate dari potest, aut contingere, qui ab ipso prima caussa non producatur, atque dependeat; alias namque daretur aliquid independens praeter Deum, quod repugnat. Verum ex notione, et idea perfectissimae caussae colligi nequit, ipsam ita operari omnia debere, ut omnia per se efficiat, neque admittat consortium caussae alterius, utcumque subordinatae, et dependentis. Etsi quippe, praeter caussam primam, aliae etiam caussae sint a prima caeteroquin dependentes, eique omnino subjectae, salvo tamen manere intelligitur primae caussae infinita perfectio; quemadmodum Ens perfectissimum, et infinitum est utique Deus, quamvis non ipse solus sit Ens, sed praeter ipsum plurima alia entia dentur, imperfecta licet, finita, et contingentia. Ex quo itaque Deus omnia per seipsum efficere possit, non sequitur, omnia semper per seipsum immediate agere, cum nulla repugnantia sit quod agat mediate aliqua, per creaturas.

§. 85 *Contra.* Atqui ex quo Deus sit caussa perfectissima rerum omnium, omnia per seipsum immediate operatur; Ergo n. r. Prob. subsm. *Fieri non debent per plura, quae fieri possunt per pauciora*; *et non sunt multiplicanda entia sine necessitate*; Sed si Deus omnia operatur, frustraneae omnino sunt aliae caussae creatae; Ergo cum Deus omnia operetur, ex concessis, omnia operari dicendus est immediate per seipsum.

§. 86. R. dist. maj. Fieri etc., caeteris paribus, conc.; caeteris imparibus, n. maj., et dist. min.; Sed si etc. habita ratione finis ipsius Dei, n. min.; habita tantum ratione effectuum producendorum, subdist.; habita tantum ratione effectuum ipsorum, quoad substantiam, conc. quoad modum producendi, n. min.; Ergo etc., n. consm. Axiomata illa in argumento laudata, et iis similia valere tantum debent, quando quae habentur per plura, haberi etiam possunt per pauciora, quoad circumstantias omnes, ita ut aeque per plura, et pauciora habeatur idem effectus ab arte, vel a natura, vel a Deo inten-

tus. Nempe sumenda non sunt axiomata illa (ut explicat P. Ricciolus Lib. IX. Almagesti Sess. 4. Cap. 9. n. 5.) *absolute* , et in sensu pure aritmetico , quasi vero Deus, et natura, vel etiam ars, affectent semper unitatem, vel eum numerum , qui quammaxime accedit ad unitatem ; sed *relative* , ad finem praestitutum , sumptumque non solum quoad substantiam rei faciendae , sed etiam quoad accidentia ipsi congruentia ad bene , vel melius esse in suo ordine. Poterat quippe natura paucioribus fibris , venulis , nervulis , cuticulis , membranulis , pilis , foliis , radiculis etc. plantas , et animalia efficere , et conservare , sed haud ita bene , et congrue. Poterat etiam Deus paucioribus stellis , angustioribus marium, ac terrarum tractibus, pauciorique numero insectorum , reptilium, piscium , volucrum , quadrupedum, Mundum hunc implere ; sed non eum finem, nec eo modo consequutus esset , quem, et quo sic assequitur. Et si quis horologio alicui adderet plures rotas, ut non semel , sed bis pulsaretur eadem hora , vel ut duobus distinctis tintinnabulis , majori, ac magis sonoro pulsarentur horae ; minori vero quadrantes horarum, is non superfluas rotas , spectato fine suo , sed necessarias adhiberet. Similiter posset utique concentus musicus sic institui , ut paucioribus et vocibus , et instrumentis, sed adhibita poliphona echo , plures voces , et plura instrumenta viderentur ; at si quis non hanc meram adparentiam , sed multiplicitatem vocum , et organorum sibi proponat , ut eo modo concentum efficiat , neutiquam reprehendendus erit si plures voces , pluraque instrumenta adhibeat , etiamsi potuisset aequali facilitate illa echo uti. Ita in proposito casu , etsi frustraneae dici possint efficientes caussae secundae , habita ratione solum effectuum producendorum , quoad eorum substantiam, cum effectus , quoad substantiam suam haberi aeque possint per solius Dei immediatam actionem , ac per actionem quoque creaturarum ; non tamen absolute superflue dic possunt , imo necessariae dicendae erunt , tum ad obtinendum finem ipsius Dei , tum ut effectus naturales ea ratione producantur , qua produci debent , quaque vult Deus ut producantur. Si nempe voluit Deus , ut creatu-

rae, non tantum viderentur agere, sed reipsa agerent, et quaeque effectus suos produceret, idque ad bonitatem, sapientiam, atque potentiam suam in iis manifestandam, si voluit ut quivis effectus haberet caussam sui ordinis, scilicet finitus finitam, idque ad majorem universi pulchritudinem; si voluit ut spirituales substantiae, vi sibi insita pollerent, seipsas diversimode modificandi, modificandi et corpora, quibus uniuntur, idque ut essent actionum suarum dominae, ut praemia mereri possent, aut poenas, prout concessa libertate uterentur, aut abuterentur; si tandem, ne plura persequar, voluit plures naturae effectus non per seipsum immediate peragere, idque ne perfectissimae naturae suae detrahere videretur, jam evidens est, non superfluas esse caussas secundas, sed utique necessarias, ut fines sibi praestitutos assequatur Deus, utque ea ratione effectus mundani producantur, qua ipse voluit. Recensitos autem fines sibi Deum praestitisse, atque voluisse, ut eo modo, quo dictum est, naturae phoenomena contingerent, plura sunt argumenta, quae ostendunt; nulla vero Malebranchianis suppetunt, quae oppositum demonstrent, prout ipsis apprime incumberet. Immerito igitur caussas alias, praeter Deum, absolute frustraneas esse jactitant.

§. 87. *Contra.* Atqui caussae creatae, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum effectuum producendorum frustraneae sunt; Ergo n. r. Prob. subsm. Caussae creatae nullo pacto sunt aptae ad effectus naturales producendos, eo modo, quo Deus voluit; Ergo etc. Prob. ans. Res creatae vel sunt corporeae, vel incorporeae; sed neque corporeae res creatae, neque incorporeae aptae sunt ullo modo ad naturae effectus producendos; Ergo etc. Prob. min. quoad utramque partem; atque ut clarior probatio evadat, assumamus exemplum motus, qui est effectus maxime vulgaris, imo unicus, quem in universa natura corporea contingere cernimus. Inter spiritum, et corpus quod moveri debet, nulla datur connexio, nulla proportio, ex qua intelligere valeamus, quo pacto motus corporeus a re spirituali, tamquam ab effectrice caussa oriatur; Ergo motus corporeus a re spirituali proficisci non potest. Deinde corpus

ex se otiosum est, minime activum, atque indifferens ad motum, et quietem; agere ergo non potest, sed tantum agi, movere non potest, sed tantum moveri; Ergo neque spiritus, neque corpus motum efficere possunt; adeoque etc.

§. 88. R. conc. priori antis parte, neg. consm., quae exinde deducitur. Argumentum istud, quo Malebranchiani palmam, et victoriam de nobis reportare credunt, contra eos potius vim habet, et quo putant nobis malum inferre, sibi ipsis asciam in crus impingunt; Sane si ab anima, utpote spirituali motus in corpore produci, intelligi nequit; neque etiam intelligi poterit, quomodo Deus, qui utique simplicissima substantia est, et spiritualis caussa, motus hujusmodi in corpore producat. Negata quippe animae spirituali vi corpora movendi, ob eamdem rationem negari quoque ipsi Deo debet, qui spiritus perfectissimus est; quod posterius an sit absurdum, Malebranchianorum ipsorum judicium esto. Caeterum autem, ex quo intelligere nequeamus, quomodo spiritualis substantia motus in corpore producere valeat, non inde colligere debemus, omnino esse repugnans, ut motus a spirituali substantia corpori communicetur; scimus namque experientia, intimaque conscientia, spiritum corpori motum communicare, quomodo autem hoc accidat, non intelligimus; illud ergo affirmamus, hoc ignorare fatemur. Atque haec quoad primam partem antecedentis; quod vero spectat ad secundam, eam omnino negamus cum consequentia. Nihil quippe est magis falsum, quam id quod tamquam verum assumitur; corpora nempe, quae sunt in Mundo penitus otiari, ad motum aeque, atque ad quietem plane indifferentia; uno verbo, non esse activa. Quid namque sunt vires gravitatis, attractionis, inertiae, seu resistentiae, quae, quidquid tandem illae sint, in quacumque materiae parte, quotidie vel observamus, vel experimur; quaeque materiam totam pervadunt, ac veluti animant, atque vivificant; indesinenter agitant, atque ad sensibilem motum impellunt, qui statim in corporibus obtineri conspicitur ubi nihil sit, quod obstet, et impediat? Neque namque putandum est, corpora, quae in superficie

telluris degunt, otiari penitus, nec quidquam conari; conatum imo exerunt versus telluris centrum pro quantitate materiae suae, et nisi subjectorum corporum resistentia vincenda foret, in centrum ipsius terrae acta descenderent, quemadmodum in aperto aere sibi commissa, in linea perpendiculari ad orizontem terrestrem deorsum feruntur. Nihil ergo minus verum est, quam corpora otiosa penitus esse, atque ad motum, et quietem aeque indifferentia, cum constet, a viribus suis ad sensibilem motum incessanter urgeri.

Aliae oppositiones extra scholae formam.

§. 89. Actio creaturae est a Deo; Ergo nihil creatura agit, sed solus Deus.

II. Creaturae dependent essentialiter a Deo tum in existendo, cum in operando: sed non salvaretur dependentia essentialis creaturae a Deo in essendo, si haec a seipsa haberet existentiam; ergo neque salvari potest dependentia essentialis in operando, si haec sit ipsa sibi suarum operationum principium.

III. Creatas res aliquid efficienter operari, est asserere, effectus aliquos a rerum natura oriri; hoc autem est, Deum, ejusque providentiam evertere; Ergo etc.

IV. Tandem. Mens vim non habet producendi sibi perceptiones, et volitiones, alioquin posset vi sua elicere actus charitatis, et Deum intuitive percipere, quod a ratione, et a Religione abhorret; Ergo etc.

§. 90. R. ad singula; et ad I. dist. ans. Actio creaturae est a Deo; hoc est proficiscitur a Deo tamquam a principio activo immediate in creaturis ipsis agente, nego ans; nam id profecto est; cujus oppositum ipsa thesi nostra asserimus; Actio creaturae est a Deo, hoc est elicitur a creatura, Deo eam conservante, cum eaque concurrente, conc. ans; Ergo etc., n. consm. Distinctio satis ex seipsa patet.

Ad II. Concessa maj., et min., n. consm. Nulla equidem esse posset creaturae a Deo dependentia in existendo, ubi illa a seipsa existentiam haberet, neque il-

lam a Deo mutuaretur, eo quippe ipso esset Ens necessarium existentiae, uti est Deus; quemadmodum proinde nulla intelligi potest in Deo dependentia ab alio in existendo, alioquin non esset ens necessarium, ita neque ulla fingi potest in creatura dependentia ab ipso Deo, quando a seipsa, non per ullam Dei actionem, existeret. Manet autem tota dependentia creaturae a Deo in operando, etsi non Deus, sed creatura ipsa sit sibi operationum suarum principium, dependet quippe adhuc, et sane essensialiter, quatenus non a se habet, neque porro habere potest, operandi vim, sed accipit a Deo, nec eam exercere potest, nisi concurrente Deo.

Ad III. Naturae vocabulum multipliciter usurpari potest, vel ita ut significet 1. Vires creaturarum activas, creaturis ipsis a Deo concessas, ab eoque perenniter conservatas; vel 2. ut ipsam Dei voluntatem universi creatricem, et conservatricem denotet; vel sumi potest 3. pro Numine, aut principio aliquo a Deo distincto, cui omnia subduntur; vel tandem 4. pro Deo ipso huic Mundo permixto, eumque animante. Nos priori sensu naturam usurpamus, dum ex ea, effectus aliquos derivamus; volumus nempe, etiam res creataa, aliqua in universo efficere, ope virium activarum, quas iis Deus concessit, quasque indesinenter conservat. Quae doctrina Dei existentiam, ejusque providentiam supponit; tantumque abest, ut evertere possit. Deum porro, ejusque providentiam evertit Natura, at solum quando accipitur Naturae vocabulum sensu eorum, quos, ait Plato (Lib. X. de Legibus), Omnia posuisse non per mentem, neque per Deum aliquem facta, sed Natura, atque fortuna; vel etiam sensu illorum, qui ut ait Lactantius (Lib. VII. Instit. Cap. 5.): *Uno Naturae nomine duas res diversissimas comprehendunt, Deum, et Mundum, artificem, et opus, dicuntque alterum sine altero nihil posse, tamquam Natura sit Deus Mundo terminatus.*

Ad IV. tandem. Mens pollet utique vi percipiendi, et volendi, ast non potet perceptionem aut volitionem quampiam elicere sine auxilio et concursu Dei, generali quidem, et ordinario, si sermo sit de perceptionibus, et volitionibus naturalis ordinis; sine concursu

vero speciali, et supernaturali auxilio, si sermo sit de perceptionibus, et actibus superioris, et supernaturalis ordinis. Cum ergo actus charitatis, et intuitiva perceptio Dei sint actus supernaturalis ordinis, utpote supernaturale objectum respicientes, hinc non eos potest mens pro lubitu elicere, sed nonnisi supernaturali auxilio roborata (*a*).

CAPUT IV.

De aliis caussarum efficientium speciebus, atque caussis reliquis.

§. *91.* Caussa efficiens insuper alia est *Physica*, alia *moralis*; item alia *per se*, alia *per accidens*; tandem alia *proxima*, alia *remota*.

§. *92. Def. 1.* Caussa Physica est illa, quae vi, atque actione propria aliquem producit effectum. Caussa vero moralis est, quae alterius opera utitur, eumque vel suadendo, vel consulendo, vel adiuvando ad actionem impellit; vel instrumenta praestando faciliorem reddit; vel eamdem jam patratam probat. Sic caussa physica homicidii est homicida, ille scilicet, qui hominem interficit, caussa vero moralis ejusdem homicidii est homo ille, qui homicidam impulit ad homicidium patrandum.

§. *93. Def. 2. Caussa per se*, est illa, quae effectum producit, ad quem producendum destinatur. Ita ignis per se dicitur comburere, quia ad comburendum destinatur. *Caussa* vero *per accidens* dicitur, quae effectum producit, ad quem producendum non est destinata; Sic juvenis ille, quem Plutarchus memorat, qui lapide, quo canem ferire cupiebat, infestam sibi Novercam

(a) Consulantur Storchenau Ontol. Sect. III. Cap. IV. Josephus Joan. Potestius Ontol. Sect. II. Cap. III. §. 190. et seq. Odoardus del Giudice Ontol. Append. Antonius a Cavis Ontol, Sect III. Cap. II.

percussit, lepide subjungens: *etiam sic lapis non male cecidit*; fuit caussa tantum per accidens ictus Novercae inflicti.

§. 94. *Schol.* Quoties evenit ut plures caussae ad ejusdem effectus productionem concurrunt, tunc illae diversa sortiuntur nomina. Et quidem si una ab altera non pendet, et tunc illae caussae dicuntur *coordinatae*, vel ejusdem ordinis, speciatim vero *sociae*, sive *auxiliares*; si vero una pendet ab alia, et tunc *subordinatae* appellantur, *accidentaliter*, si solum materialiter, et quoad existentiam spectatae a se pendent, *essentialiter* vero, si formaliter, et quoad actionem consideratae. Atque ex pluribus caussis subordinatis, quarum scilicet una ab altera pendet, *series* caussarum connexa constituitur, in qua caussa illa principalis, a qua proxime effectus producitur, dicitur *proxima*, sive *immediata*; reliquae vero *remotae*, sive *mediatae*; illa tandem, quae nulli alteri caussae subordinatur, *prima* nominatur. Itaque.

§. 95 *Def.* 3. Caussa *proxima*, sive *immediata* est illa, inter quam, et effectum alia caussa non intercedit, *remota* vero sive *mediata* est illa, inter quam, et effectum alia mediat caussa. Ita Pater dicitur caussa proxima Filii; Avus vero caussa remota nepotis. Hinc

§. 96. *Coroll. Quod est caussa caussae, est caussa caussati.* Et re quidem vera. Si Antonius, ex. gr., est caussa Petri, et Petrus est caussa Francisci, etiam Antonius est caussa Francisci, licet non proxima ut est Petrus, sed remota; si namque Antonius Petrum non procreasset, neque Petrus procreasset Franciscum; quare Franciscus est effectus, licet remotus, Antonii.

§. 97. *Animad.* Hoc autem ita est intelligendum, si sermo sit de caussis essentialiter (§. 94.) subordinatis, non autem de illis, quae nonnisi accidentaliter subordinatur. Nam licet Avus est caussa nepotis, nepos autem est caussa furti, vel homicidii, non recte dici potest, Avum etiam esse reum furti, vel homicidii.

§. 98. *Def.* 4. *Caussa finalis est, cujus obtinendi gratia caussa efficiens agit.* Sic eruditio in Juvene studente est finis, propter quem scholam frequentat.

§. 99. *Coroll.* 1. Caussa itaque finalis non operatur prout realiter existit, sed prout a caussa efficiente cognoscitur, et appetitur; Unde

§. 100. *Coroll.* 2. Caussa quae propter finem agit, debet esse facultate cognoscendi praedita; alias enim nec movere, nec allici posset; quippe, ut in proverbio est: *ignoti nulla cupido*; *et nihil volitum quin praecognitum.* Quare

§. 101. *Coroll.* 3. Effatum illud: *omnis agens, agit propter finem*, de agentibus cognoscendi facultate praeditis intelligendum est. Licet namque agentia quoque irrationalia agere propter finem posse dicantur, hic autem finis non est quidem ab ipsis intentus, sed ab eo qui illa dirigit.

§. 102. *Animad.* Ut finis rei alicujus consequatur, media necessaria sunt, sine quibus finis frustrabitur. Medium namque est id, quod in se rationem aliquam continet, cur finis exequutionem obtineat.; Quapropter

§. 103. *Coroll.* Qui serio vult finem rei alicujus obtinendae, et media ad id conducentia habere debet, et ponere; Hinc axiomata illa: *Finis est primus in intentione, ultimus in exequutione. Finis dat mediis amabilitatem, bonitatem, mensuram, ordinem.*

§. 104. *Schol.* Finis duplex est *intrinsecus* nempe, et *extrinsecus*, et iste vel *primarius*, vel *secundarius*, vel *proximus*, vel *remotus*, vel *ultimus.*

§. 105. *Def.* 3. *Finis intrinsecus*, sive operis est ille, in quo opus, ipsa sua natura dirigitur. Ita quies in terrae centro est finis *intrinsecus* corporis gravis deorsum ruentis.

§. 106. *Def.* 6. *Finis extrinsecus*, sive *operantis* est id, propter quod caussa operatur; ita finis artificis in aliquo construendo opere, est lucrum, ex. gr.

§. 107. *Coroll.* A fine itaque caussa efficiens movetur, ab eoque ad operandum veluti determinatur.

§. 108. *Def.* 7. *Finis primarius* est ille, quem agens adeo respicit, ut omni alio sublato, adhuc propter ipsum operaretur. *Secundarius* vero est ille, quem non adeo respicit operans, ut si alius non adesset, adhuc

id quod facit efficeret. Hinc si quis Missam, ex. gr., audit, tum ut Deo placeat, tum ut adimpleat praeceptum Ecclesiae, ita tamen ut etiam illam audiret, etiamsi praeceptum Ecclesiae non extaret, finis *primarius* auditionis Missae in isto esset placere Deo, secundarius vero Ecclesiae praeceptum.

§. *109*. *Def. 8*. ***Finis proximus*** est ille, quem agens immediate respicit; *remotus* vero, in quem mediate tendit. ***Finis*** tandem *ultimus* ille dicitur, *quo*, ut ait Tullius (Lib. II. de finibus Cap. II.) *omnia, quae recte fiunt, referuntur, neque id ipsum unquam refertur*. Hinc si quis sculptor omni studio conatur statuam mirae pulchritudinis efformare, ut sic nomen sculptoris eximii sibi adipiscatur, sicque divitias comparet multas, nominis eximii sculptoris adquisitio est illi *finis proximus*, remotus vero divitiarum comparatio. ***Finis*** demum *ultimus* est Deus, ad Deum namque omnia referuntur, ipse vero ad nullum aliud referri potest.

§. 110. *Def. 9*. *Caussa materialis* est id, ex quo, tamquam ex praeexistente subjecto aliquid efficitur. *Caussa formalis* est ipsa forma, per quam materia in aliquo statu determinatur, atque perficitur. Ita lignum, ex. g. ex quo sculptor statuam efficit, est caussa materialis; ligni vero dispositio ac forma, ob quam lignum illud modificatum dicitur statua, est caussa formalis. His additur caussa *exemplaris*, sive archetypum, idest quidquid caussa efficiens agendo intuetur, cuique simile opus efficit; idque duplex est *internum*, et *externum*, primum est idea in mentem agentis; ut idea, ad cujus similitudinem sculptor statuam efformat; secundum est idea extra agentem vel picta, vel sculpta, quam sculptor intuetur, ut illi similem ponat

CAPUT V.

De principio Rationis sufficientis.

§. 111. *Def. 1. Ratio sufficiens est id, per quod sufficienter intelligitur cur aliquid potius sit, quam non sit, cur hoc modo potius, quam alio.* Id vero cujus ratio sufficiens habetur, *rationatum* appellatur.

§. 112. *Coroll.* Ratio itaque sufficiens a caussa distinguitur; haec namque in illa continetur (§. 42).

§. 113. *Animad.* Ratio sufficiens non spectat ea, quae unico tantum modo sunt determinabilia, et proinde necessaria, sed tantum contingentia. Cum namque veritates necessariae unico modo determinentur; principium contradictionis pro fundamento habent; adeoque rationem sufficientem, non ut principium, sed uti productum respiciunt. Cumque veritates contingentes pluribus modis determinari possint, de his propterea jure quaeri potest, unde fiat, ut hoc modo potius sint, quam alio; quare in his potius, quam in illis principium rationis sufficientis locum habet.

§. 114. *Def.* 2. Ratio sufficiens dicitur *interna*, seu *intrinsecus*, si intra rem, de qua quaeritur existit; *externa* vero, seu *extrinseca*, si extra. Sic, ex. gr., ratio sufficiens interna, cur filius ploret, est dolor animi, externa vera, mors patris.

§. 115. *Animad.* Ratio sufficiens interna si attenditur respectu essentialium attributorum, rem, formaliter constituentium, dicitur quoque *ratio sufficiens essentiae*, et illa est, per quam intelligitur cur res talis essentialiter sit, et non potius aliter. Ratio autem sufficiens externa, si attenditur respectu caussae producentis, dicitur etiam *ratio sufficiens existentiae*; atque illa est, unde intelligitur cur res existat, quam non existat. Sic ratio sufficiens essentiae hominis est in animalitate, et rationalitate; ratio autem sufficiens cur homo existat, est in Deo, qui condidit ipsum. Itaque

§. 116. *Coroll.* 1. Ratio sufficiens essentiae et in suis essentialibus attributis, et in caussa est intelligenda, in illis quidem *immediate*, in ista vero *mediate*. Ratio autem sufficiens entium factorum, non est, nisi a sua caussa repetenda; quapropter

§. 117. *Coroll.* 2. Omnis caussa nedum continere debet rationem sufficientem effectus existentis, sed etiam realitatum ejusdem effectus. Nimirum debet in se continere aut *formaliter*, aut *eminenter* effectus perfectiones, sive realitates, ut vera effectus caussa dicatur, et sit. Igitur.

§. 118. *Coroll.* 3. Quidquid est, data ratione sufficiente, sive quoad essentiam, sive quoad existentiam (§. 115., per aliquid esse debet; e contra vero ipsa negata, aliquid esset, quin aliquid assignari posset, per quod sit; Si namque assignari posset, jam intelligitur cur illud esset, ac proinde contra hypothesim, ejus sufficiens ratio daretur.

§. 119. *Def.* Id cui aliqua notio, attributum, proprietas vel actu respondet, vel potest respondere, dicitur *aliquid*; contra vero, id cui nulla notio, aut proprietas respondere potest, dicitur *nihil*. Quare

§. 120. *Coroll.* 1. Inter aliquid, et nihil non datur medium positivum, et reale; sibi enim invicem opponuntur.

§. 121. *Animad.* Hic *nihil pro entis negatione* usurpamus; infra, nihili ideam clarius exponemus, et enucleabimus. Quapropter

§. 122. *Coroll.* 2. Nihili nulla insunt praedicata, proprietates nullae; aliter enim notio subjecti ei responderet, (§. 119.), quod repugnat (§. 120.). Hinc.

§. 123. *Coroll.* 3. Ex nihilo nihil fieri potest; alias ipsi vel subjecti, vel caussae notio responderet, quod fieri nequit (§. 222.); Itaque

§. 124. *Coroll.* 4. Quod est nihil nequit aliquid evadere; nam si aliquid evaderet, ex nihilo fieret aliquid, quod est falsum (§. 123.); proindeque

§. 125. *Coroll.* 5. Nihil non potest in se continere ullam rationem sufficientem rei alicujus; et consequenter, si aliquid ponendum est, haberi debet ratio

sufficiens, cur illud ponatur potius, quam non ponatur; scilicet, debet adesse id, ex quo facillime intelligitur, cur illud sit, quam non sit, hoc modo potius, quam alio.

§. 126. *Schol.* Rationem sufficientem in veritatibus contingentibus locum habere, ultro concedunt Philosophi, verum sit ne ipsa ita universalis, ut veluti illarum principium haberi possit, et debeat, variae sunt,

Auctorum sententiae.

§. 127. Si quosdam excipias Epicureos, qui quorumdam judicio, Rationis sufficientis principium evertere visi sunt, dicendo Mundum hunc aspectabilem ex fortuito athomorum concursu coaluisse, illud omnium fere aetatum Philosophi agnoverunt. Et sane illo usi sunt Parmenides, et Democritus, ut ostenderent, Tellurem in universi medio immotam quiescere (Plutarchus de Placitis Philosophorum Lib. III. Cap. XV.). Eodem usus est Archimedes in stabiliendis veritatibus staticis. Tamen temporis decursu oblivioni traditum, et veluti cineribus obductum, fere incognitum jacebat. Verum in litteraria Republica gloriose splendescens Leybnitius, illud denuo excitavit, tantoque in lumine posuit, ut primus omnium hujus principii inventor credi meruerit. Ipse namque, non modo illud defendit, sed et adeo universale dixit, ut etiam in causis libere agentibus obtinere dixerit (In Theodicea, et in Epistolis ad Clarckium scriptis). Leybnitio Wolfius suum adjunxit calculum; quod item fecere postea Leybnitiani omnes, inter quos, prae caeteris emicuere Reimbecchius (in meditationibus), Auctor dilucidationum de Deo, Anima, et Mundo Matrona Du-Chastellet, nec non Recensiores alii permulti. Hoc tamen non obstante, non deferunt alii, et quidem non inferioris notae Philosophi, qui universalitati hujus principii se se opposuerunt. Et primus quidem fuit Samuel Clarkius Philosophus, atque Theologus Anglus, pluribus datis litteris ad Leybnitium, refertis variis argumentis, quibus laudatum principium universale esse negat. Idi-

psum fecit quidam Anonimus, qui scripsit adversus Reimbecchii meditationes, et alii bene multi, inter quos Crousadius, qui absolute inficiatur, hoc principium ad actus voluntatis extendi, ad experientiam provocans, qua edocemur, plura nos velle absque rationis ullius conscientia. Hunc sequuntur Thomas Vincentius Monilia, Eduardus Corsinus, aliique, qui ab infami Fatalistarum nota vix Leybnitium expiari posse conclamant, putantes, Leybnitio universaliter determinantem, habitam rationem illam sufficientem. Quid autem nos, ex sequentibus patebit.

THEOREMA I.

Datur principium rationis sufficientis.

§. 128. *Demon.* Ratio sufficiens est id, per quod sufficienter intelligitur, cur aliquid potius sit, quam non sit; hoc modo potius, quam alio (§. 111.). Atqui nulla res est in Mundo, de qua nequit intelligi, cur potius sit, quam non sit; cur hoc modo potius, quam alio; Ergo etc. Prob. min. Fac quod non detur ratio sufficiens, seu id ex quo intelligitur cur res potius sint, quam non sint; profecto si aliquid existeret, concipi deberet factum ex nihilo (§. 125); adeoque nihil existeret, et non existeret: existeret quidem, quia alterius rei existentia concipi deberet ex nihilo; ergo et nihilum ipsum existere deberet; sed neque ex nihilo potest aliquid produci (§. 123.); igitur si aliquid existit, suam caussam existentem habere debet (§. 117.), in qua ratio sufficiens effectus continetur, adeoque nihilum existeret; non existeret autem, quia sicuti nihilo nulla correspondet notio (§. 119.), ita neque notio existentiae competere potest: nam nihil respicit aliquid, tamquam quid oppositum (§. 120.); Atqui notio existentiae est aliquid, et praedicatur de aliquo actu existente; Ergo existentiae notio nequit nihilo convenire; adeoque nihilum non existeret simul; Atqui nequit aliquid simul esse, et non esse (§. 18.); Ergo neque fieri potest, ut nihil existat simul et non

existat. Si ergo aliquid existit, concipi nequit ex nihilo factum; adeoque nulla res est, etc. Q. E. D.

THEOREMA II.

Rationis sufficientis Principium universalissimum est, adeo ut omnes, et singuli effectus vel producti, vel producibiles rationem sufficientem contineant,

§. 129. *Demonst.* Ratio sufficiens tamquam universale principium debet haberi, si de omnibus quae sunt, intelligi potest, cur potius sint, quam non sint; Atqui res ita se habet.; Ergo etc. Prob. min. Vel nihil est sine ratione sufficiente, vel aliquid; Atqui secundum dici nequit (§. 128.); Ergo primum dicatur oportet; adeoque Principium rationis, etc. Si namque nihil est sine ratione sufficiente, omne quod est, rationem sufficientem in se continet. Exemplo res illustratur. Fac enim, lapidem frigidum in calidum fuisse mutatum; jam vero, vel aliqua datur ratio, qua percipi potest, cur lapis in calidnm fuerit mutatus, vel nulla; Si nulla datur; Ergo vel nihil ponitur extra lapidem, vel nihil in lapide, ex quo posset intelligi, cur lapis fuerit in calidum mutatus; cum reipsa lapis calidus sit; Igitur aut nullus est in lapide calor, et hoc est contra factam hypothesim, aut nihilum existens in lapide, vel extra lapidem calorem produxit, quod est absurdum (§. 123.). Igitur aliquid aut in lapide, aut extra lapidem admitti debet, quod est ratio sufficiens, qua facilius intelligitur cur lapis frigidus fuerit deinde calore perfusus. Porro cum id quod de uno, aut altero in hac materia dicitur, omnibus etiam quae existunt sit aptandum, idque satis obvia exemplorum inductione constare potest, patet, Principium rationis sufficientis universale esse. Q. E. D.

§. 130. *Schol.* Adeo exploratum, certumque est, Principium rationis sufficientis universalissimum esse, ut ejus universalitatem necessariam, vel ipse Lucretius, li-

cet Epicuri sectator, pluribus probaverit argumentis; quorum praecipuum deduxit ex eo, quod maxime conferat vitae private ducendae; cum per ipsam rationem sufficientem animum nostrum a variis, multisque liberemus affectibus, rite corpus ducamus, et rectae rationi obtemperemus. En ejus verba. Lib. III. de Rer. Nat. v. 87.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia caecis,
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quae sunt metuenda magis, quam
Quae pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necess'
Non radii Solis, neque lucida tela diei (est
Discutiant, sed naturae species ratioque.

THEOREMA III.

Rationis sufficientis Principium in caussis etiam libere agentibus locum habet.

§. 131. *Demonst.* Voluntas est caussa libere agens; sed in voluntatis actionibus datur id, per quod intelligitur cur potius ipsa agat, quam non; Ergo etc. Prob. min. Voluntas, uti constat, nequit absque motivis operari; Ergo etc. Prob. consa. Motiva in voluntate operante, sunt id ex quo intelligitur, cur potius agat, quam non agat; Atqui id venit nomine rationis sufficientis (§. 111.); Ergo etc. Major constat. Nam voluntatem sine praevia intellectus cognitione, in nullum ferri posse objectum, certa, atque inconcussa res est; Unde vulgaria illa adagia: *Nil volitum quin praecognitum*; *nolenti nulla cupido.* Adeo itaque operatur voluntas, praeeunte intellectus repraesentatione, ut si malum, *qua malum* ipsi exhibeatur, exhibitum objectum odio habet voluntas; amore vero prosequitur, si *ut bonum* ei repraesentetur; sed istae repraesentationes sunt motiva, quibus positis intelligitur, cur potius voluntas operetur, quam

non; adeoque rationes sufficientes actuum voluntatis; Ergo nunquam voluntas agit absque ratione sufficiente; Adeoque, etc. Q. E. D.

THEOREMA IV.

In caussis necessariis ratio sufficiens est determinans, minime vero in caussis liberis.

§. *132. Demonst. I. pars.* Nam caussae necessariae ita agunt, ut praesuppositis requisitis nequeant non agere (§. 60.); ergo ante omnem actionem caussa necessaria, si extent necessaria ad operandum requisita, necessario agit, igitur non deficientibus requisitis, ad actionem determinatur; si namque non determinaretur, jam sicuti agit, ita etiam posset non agere; Atqui fatentibus omnibus, dum agit per requisita praesupposita, necessario quidem agit; Ergo ad agendum determinatur; igitur id per quod intelligitur, cur caussa necessaria operetur, ipsam caussam determinat; Atqui, subsumo, illud ipsum est ratio (§. 111.); Ergo etc.

§. *133. Demonst. II. pars.* Si voluntas, quae caussa libera est, per rationem snfficientem determinaretur ad gendum, profecto determinaretur ad volitiones, et nolitiones eleiendas; atqui ad has actiones nequit voluntas determinari per rationem sufficientem; Ergo etc. Prob. min. Si voluntas determineretur ad volitiones, et nolitiones eliciendas, esset simul volens, et nolens; sed hoc repugnat; Ergo etc. Prob. sequela maj. Supposita voluntatis determinatione per rationem sufficientem, esset ipsa volens; quia volitionis reipsa elicit actum; esset autem nolens, quia ob determinationem, necessario operaretur (operatio enim, quae necessario fit, est potius nolitiva, utpote contra volitionem ipsius voluntatis); Atqui esse volens, et non esse voilens simul, per principium contradictionis omnino est impossibile; Igitur etc. Q. E. D.

PROPOSITIO

Admittendum est Rationis sufficientis Principium.

§. *134*. *Demon*. Nam Rationis sufficientis Principium datur (§. 128.), estque universalissimum (§. 129); et ita quidem, ut etiam in caussis libere agentibus locum habeat (§. 131.); esto tamen in caussis necessariis ratio sufficiens sit determinans (§. 132.), minime vero in caussis liberis (§. 133.). Ergo etc. Q. E. D.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. *135*. *Objc*. *1*. Si nihil esset sine ratione sufficiente, cjuslibet rei sufficiens ratio assignari posset; Atqui hoc, experientia teste, fieri nequit; Ergo etc. Prob. min. Non pauca inveniuntur, de quibus nulla sufficiens ratio apparet; Ergo etc.

§. 136. R. dist. ans. Non pauca etc., sed tamen evidenter constat, eam dari debere, conc., secus, n. ans., et consm. Libenter concedimus, in rebus bene multis, nullam apparere rationem sufficientem; verum meminisse oportet imbecillitatis, et humanitatis nostrae; illud certe scimus fieri non posse, ut non sit aliqua (consul. Demonst.). Omnes namque in seipsis agnoscunt, non posse intellectum ullo modo adigi ad assensum, ubi nulla sit assentiendi ratio sufficiens. Id quod in pueris ipsis, cum primum rationis usus se exerit advertere est, qui omnium rerum rationes curiosius, imo importunius efflagitare solent.

§. *137*. *Contra*. Atqui ex quo in pluribus rebus nulla appareat ratio sufficiens; haec universaliter admitti nequit; Ergo n. c. Prob. subsm. Ut universaliter aliquid instituatur, fieri debet omnium particularium enumeratio; Atqui, si in pluribus rebus nulla apparet ratio

sufficiens ; haec enumeratio fieri nequit ; Ergo ex quo in pluribus, etc.

§. 138. R. dist. maj. Ut universaliter etc., in materia necessaria, n. maj., in materia contingenti, conc. maj., et dist. min. Atqui etc., et aliunde ratio sufficiens est in materia necessaria, conc. min., in materia contingenti, nego min., et consm. Tradunt universaliter Logici omnes, ad propositionem universalem in materia necessaria constituendam, haud requiri omnium particularium enumerationem; Ratio est, quia cum aliquid necessario de subjecto particulari enunciatur, illud huic ita convenit, ut ei non convenire repugnet. Cum autem eadem sit repugnantiae hujus ratio, quoad omnia ejusdem conditionis objecta, hinc quin singula enumerentur, recte idem praedicatum universaliter enunciatur. Jam vero, ut aliquid sit sine ratione sufficiente, omnino repugnat (§, 128.); merito igitur universaliter constituitur ratio sufficiens ; quin omnia particulariter enumerentur ; ob illam namque repugnantiam fit, ut materiam necessariam respiciat.

§. *139. Contra.* Atqui ratio sufficiens non est in materia necessaria ; Ergo n. r. Prob. subsm. Ideo affirmatur eam esse in materia necessaria, quia res, sine ratione sufficiente esset a nihilo, quod repugnat ; Atqui res sine ratione sufficiente non esset a nihilo ; Ergo etc. Prob. min. Licet res non haberet rationem sufficientem, caussam tamen producentem recognosceret ; sed caussa aliquid producens non est nihil ; Ergo res sine, etc.

§. 140. R. dist. maj. Caussam producentem recognosceret, in qua est aliqua ratio sufficiens rem illam producendi, conc., secus, n. maj. ; et dist. min. Sed caussa etc., quae continet rationem sufficientem aliquid producendi non est nihil, conc. min., secus n. min. ; Ergo etc., n. consm. Haud intelligere possumus quomodo caussa concipi queat vera caussa alicujus effectus, quin illius in se contineat rationem sufficientem. Quid namque aliud est caussa, nisi principium in se continens effectus existentis sufficientem rationem (§. 42.)? Age ergo ut caussam tibi repraesentes, quae sit sine ratione sufficiente effectus existentis ; quid quaeso unquam

repraesentabis? Nihil certe; Caussa namque non continens rationem sufficientem effectus est nihili vocabulum. Quare si aliquis effectus esset a caussa productus non continente rationem sufficientem, merito dici posset a nihilo productus; Jam vero ex nihilo nequit aliquid fieri, vel produci (§. 122.); Ergo debet produci a caussa, et quidem continente rationem sufficientem. Adeoque ita firma semper manet Propositio nostra de rationis sufficientis principio, ut de ea dici potest cum Dante:

Sta come Torre salda, che non crolla
Giammai la cima pe 'l soffiar de' venti.

§. *141. Objic. 2.* Si rationis sufficientis principium in caussis etiam liberis locum haberet, actum foret de hominis libertate; Ergo etc. Prob. ans. Posita ratione sufficiente, necessario ponitur id, cujus est ratio sufficiens; Ergo etc.

§. 142. R. dist. ans. Posita etc. in caussis necessario agentibus, conc. ans, in caussis liberis, n. ans; Ergo etc., n. consm. Esto in caussis liberis ratio sufficiens admittatur, haec tamen nullo pacto determinans est dicenda (§. 133.), quia posita ratione sufficiente ad aliquem effectum ponendum, adhuc voluntas libera manet, quia semper potest sibi aliam sufficientem rationem repraesentare, sicque actionem vel non ponere, vel inceptam interrumpere, imo oppositum facere. Exemplo res clarior fiat. Deambulat Petrus per plateam, ratio sufficiens cur Petrus hoc agat potius, quam non, est animi, vel corporis levamen. Fac nunc, quod Petrus sibi sistat temporis jacturam, quam facit; sicque revertatur, profecto Petrus deambulationem intermisit cum ratione sufficiente, ut scilicet studio incumberet. Vides hic, Petrum non fuisse determinatum a priori ratione sufficiente, sed adhuc liberum mansisse ad oppositam actionem faciendam.

§. *143. Contra.* Atqui etiam in caussis libere agentibus, posita ratione sufficiente necesserio ponitur id, cujus est ratio sufficiens; Ergo n. r. Prob. subsm. Voluntas nequit sine motivo, vel sine ratione sufficiente

agere ; Ergo in operando ita agit , ut determinetur a motivo ; Adeoque etc.

§. 144. R. n. consm. Nam ex eo quod voluntas non agat quin praesentes ei sint boni , vel mali cognitiones , quae sunt motiva et rationes sufficientes , cur ipsa agat , vel non ; hoc potius faciat , quam illud , hoc unum consequitur , quod nempe requirantur illae cognitiones , ut voluntas , quia rationalis creatura est , ex se , et pro lubitu determinetur , non vero quod illa ab illis determinetur , tamquam a ratione sufficiente.

§. 145. *Contra*. Atqui laudatae cognitiones boni vel mali , quae sunt rationes sufficientes , necessario determinant voluntatem ; Ergo n. r. Si cognitiones laudatae non determinarent voluntatem , jam voluntas posset contra illas agere ; adeoque et contra rationem sufficientem ; Atqui hoc est falsum ; Ergo etc.

§. 146. R. dist. maj. Si cognitiones etc. , jam voluntas posset agere contra ipsas , quas voluntas per se, et immediate sequitur , n. maj. ; Si aliae clariores cognitiones superveniant , potest voluntas , si lubet , contra priores agere , conc. mai.; et dist. min. Atqui etc. , si tamen aliae clariores superveniant , non potest voluntar agere contra priores, nego min. , secus , conc. min. , et n. consm. Certum sane est, voluntatem non posse agere contra rationem sui sufficientem , idest contra cognitiones boni , et mali , quas ipsa voluntas sequitur , aut respuit ; at vero si altera accedat cognitio fortior priore tunc potest , relicta prima , sequi secundam ; quod evidentissime ostendit , voluntatem non posse determinari unquam a ratione sufficiente. Neque dicant , saltem ab ultima ratione sufficiente posse voluntatem determinari. Nam aliud est , voluntatem non posse agere contra rationem sui sufficientem, aliud vero , ipsam ineluctabiliter determinari a ratione sufficiente ; potest enim verum esse primum , quin verum sit quoque secundum. Et sane voluntatem sine praevia cognitione agere non posse , sentiunt omnes , sicuti omnes adstruunt ab una aut altera non posse determinari ; cum igitur cognitiones illae sint ratio sufficiens , cur voluntas agat : jam de ista eodem modo sermocinandum est , ac de illis. Cognitiones nam-

que ipsae sunt id, per quod intelligitur, cur voluntas potius eliciat actum volitionis, aut nolitionis, quam secus. Stat igitur etiam in humana voluntate ratio sufficiens quin pertimescat quis, humanam libertatem vel tantillum laedi posse. Neque ulterius ad nostram sententiam confermandam progreditor. Nam:

Odioso e a me le cose delle
Ben chiaramente, raccontar di nuovo.

Argumenta alia opposita extra Scholae formam

§. 147. I. In ore omnium est effatum illud: *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas;* Igitur voluntas humana pro lubitu suo, et sine ratione sufficiente aliquid amplectitur, vel respuit; Adeoque etc. Deinde

II. Si in rebus omnibus daretur ratio sufficiens, nihil fortuito eveniret; Atqui communis est omnium vox, et opinio, plura fortuito contingere; Ergo etc. Ulterius.

III. Experientia continua edocemur, plura a nobis inadvertenter patrari; Atqui in hoc casu nulla apparet ratio sufficiens operandi; Ergo etc. Tandem

IV. Quae tamquam futura praevisa sunt a Deo; ita evenient, quemadmodum sunt a Deo praescita; ergo illa omnia certo ordine sunt a Deo praescita; Adeoque certus ordo caussarum; ac per consequens omnia quae fiunt, casu fiunt; idest certa erit, constans, atque immutabilis caussarum, et effectuum series; Atqui omnia sunt a Deo praescita; ergo omnia casu fiunt; adeoque etc.

§. 148. R. ad singula. Et ad 1. conc. ante, n. consm. Voluntas enim nostra esto libera sit ad actionem ponendam, vel non ponendam; cum autem eam ponit, vel non ponit, semper per aliquid id efficit. Nam cum rationalis sit, motivum aliquod sibi debet representare, a quo allecta actionem exerit. Neque ex hoc aliquid detrimenti patitur ipsa in libertate, quia, ea non obstante, potest se aliter determinare; Adeoque semper manet in sua immediata electionis ratione.

Ad II. Dist. min. Communis etc. vulgi improprie loquentis, conc. min.; hominum recta ratione utentium, n. min.; Ergo etc. n. consm. Inter alia, quae in vulgus praejudicia dominantur, haud minimum est illud, quo

ea fortuito evenire creduntur, quorum nulla sufficiens ratio dignoscitur. Verum

O come sono i buoni giudizii rari!
Come spesso la turba stolta apprende:
L' estremo in ogni cosa o insegni, o impari.

Merito Seneca. *Sanabimur si modo separemur a coetu.* Vulgi itaque praejudicia respuentes, et Philosophorum more loquentes, nihil fortuito evenire sustinemus, sed cum ratione sufficiente, licet haec quandoque a nobis non cognoscatur (§. 136.).

Ad III. Conc. maj., et dist. minorem; Atqui etc. actu scilicet non reflectimus ad rationem sufficientem, conc., nullam habemus rationem sufficientem, n. min.; Ergo etc. n. consm. Licet dum inadvertenter operamur, ad rationem etiam sufficientem nostrarum operationum non advertimus, non idcirco putandum est, nullam prorsus in operando sufficientem rationem habere; nam cum nos ea inadvertenter faciamus, ad quae efficienda assueti sumus per diuturnam consuetudinem, adquisitumque habitum, optime in hoc habitu illarum operationum ratio sufficiens dicenda est residere.

Ad IV. tandem. Licet Tullius ipse ita fuerit hoc argumento perturbatus; ut ne libertatem in homine negaret, Dei sustulerit praescientiam; (Lib. II. de divinat.) atque *ut nos faceret liberos, fecit sacrilegos*, ut ait S. Augustinus, nos autem facem praeferente hoc eximio Doctore, dicimus, Dei praescientiam non immutare rerum naturas, sed permittere, caussas necessarias esse utique necessarias, liberas vero liberas; quod scilicet si praescientia Dei ab ipsius voluntate abstracta spectetur, non influat physice in rerum naturas, eodem modo quo ille, qui aliquem operantem inspicit; sed hunc ad operandum non adjuvat. *Non est*, in quit S. Doctor (Lib. V. de Civit. Dei Cap. IV.) *consequens, ut si Deo certus sit omnium ordo caussarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et quemadmodum memoria tua* (scribit Lib. III. de Libero arb. Cap. IV.) *non cogit facta esse, quae prae-*

terierunt ; *sic Deus*, *praescientia sua*, *non cogit facienda*, *quae futura sunt*. Potest itaque esse aliquid certum, quod tamen sit liberum, si ex eo, cui id certum est, nulla inferatur operanti vis (*a*).

(a) Praeter ea quae hic a nobis collecta sunt de Rationis sufficientis Principio, si alia quis quaerit, adeat Leybnitium, Wolfium Ont. P. I. Sect. I. Cap. II. P. Josephum Tamagna Ontol. P. I. Sect. I. Art. V. P. Carolum Josephum a S. Floriano Ontol. Sect. I. Art. III. P. Odoardum del Giudice Ontol. Cap. XV. Art. II. Jacquier Metaph. Cap. I. Art. II.

SECTIO II.

De Ente.

§. 149. *Def. Entis nomine hic intelligimus id omue, quod contradictionem non involvit, et idcirco non repugnat esse, sive actu sive tantum esse possit.*

§. 150. *Coroll.* Entis itaque vocabulum, hoc sensu usurpatum, universalissimum est, omnibusque convenit; proinde univocum dici potest respectu Dei, et creaturae, substantiae, et accidentis. Nam si per hoc praecise aliquid dicitur ens, quatenus essentialia ipsius non repugnant, quis ultro non fatebitur, res omnes, hoc ipso quod sint possibiles, et consequenter, Deum et creaturas entis vocabulo, cum eadem significatione, usurpari posse?

§. 151. *Animad.* Cave tamen similiter sentias de Ente, non prout abstracte sumitur, et a differentiis praecisum, sed concrete, et a circumstantiis contractum. Etenim sicut non omnium entium eaedem sunt proprictates, ita et ipsum entis vocabulum diversa in diversis significat. Sic esto Deus, et creaturae; substantiae sive creatae, sive increatae nullam dicant contradictionem; Deus tamen est ens, omnes complectens possibiles perfectiones, et quidem modo prorsus infinito, creaturae autem non sic; aliquae substantiae aliquibus, aliae aliis differentiis distinguuntur; unde et Platonici solum Deum Ens proprie dicebant, quia solus ipse ha-

bet omnes perfectiones, quae in omnibus aliis inferioribus divisae conspiciuntur. Atque hinc patet, quid sentiendum de illa celebri quaestione diu, tanto animorum contentione inter Scotistas, et Thomistas agitata; *utrum* scilicet *Entis vocabulum sit univocum respectu Dei et creaturarum* (*a*).

§. *152. Schol.* Porro ut quae de Ente dicenda sunt dilucide, ut par est, exponantur, Sectionem hanc variis capitibus absolutam dabimus. Atque ab universalioribus, ut Ontologorum est, incipientes, sit.

CAPUT I.

De possibili, impossibili, et nihilo.

§. *153. Def. 1.* Possibile dicitur, quod contradictionem non involvit; impossibile vero, quod contradictionem continet. Contradictio autem est pugna duarum idearum, quarum una alteram excludit. Possibilis abstractum, dicitur *possibilitas*; *impossibilitas* vero abstractum impossibilis.

§. *154. Schol.* Possibile duplex est *intrinsecus*, et *extrinsecus*; atque hoc insuper aliud est *metaphysicum*, aliud *physicum*.

§. *155. Def. 2. Intrinsecus possibile* dicitur id, cujus essentialia attributa inter se non pugnant; *extrinsecus* vero *possibile*, quod a caussa aliqua efficiente fieri potest.

§. *156. Def. 3. Metaphysicum possibile* est illud, quod a solo Ente, infinita vi praedito, fieri potest, ut esset defuncti resuscitatio; *Physicum* vero *possibile*, quod naturales hominum vires non excedit; Hujus generis est Urbium eversio vi pulveris pyrii.

(a) Vide P. Carolum Josephum a S. Floriano Ontol. Sect. II. Art. III.

§. 157. *Coroll.* 1. Omne quod est intrinsecus possibile, relate ad Deum, est quoque possibile extrinsecus; Deus enim summa qua pollet virtute, quae intrinsecus non repugnat, potest existentia donare.

§. 158. *Coroll.* 2. Quod est extrinsecus possibile; est quoque tale intrinsecus; nam ideo aliquid est possibile extrinsecus, quia intrinsecus non pugnat.

§. 159. *Schol.* Impossibile duplex distinguitur, *absolutum* nempe, et relativum; atque istud insuper triplex est *Physicum*, *hypotheticum*, et *morale*.

§. 160. *Def.* 4. *Impossibile intrinsecus*, et *absolutum* est illud, cujus essentialia invicem repugnant, ita ut fieri omnino non possit, ut simul aliquando concilientur. Ita impossibile est circulum esse quadratum; essentialia enim circuli ita cum essentialibus quadrati pugnant, ut se invicem destruant.

§. 161. *Coroll.* 1. Absolutum itaque, et intrinsecus impossibile pugnat cum principio contradictionis, quia tunc idem simul esset, et non esset. Adeoque

§. 162. *Coroll.* 2. Nequit una, et eadem res constare attributis sibi invicem repugnantibus; hoc enim ipso impossibilis foret.

§. 163. *Impossibile relativum* illud appellatur, quod licet sit intrinsecus possibile, impossibile tamen est sub datis aliquibus circumstantiis. Et quidem *impossibile* relativum *physicum* est illud, quod relate ad caussas creatas est tale, uti caecum a nativitate illico visum habere.

§. 164. *Impossibile relativum hypotheticum* est illud, quod facta hyphotesi aliqua tale est; hoc pacto impossibile est, Sole splendente, tenebras adesse.

§. 165. *Def.* 7. *Impossibile* tandem *relativum morale* illud est, quod tale evadit si morales qualitates personae, vel loci, et temporis etc. circumstantiae inspiciantur; Ita impossibile est, hominem sanae mentis e fenestra se praecipitem dare.

§. 166. *Schol.* Enti opponitur *nihil*; Et quidem si nihil opponitur enti, in quantum istud contradictionem non continet, scilicet est possibile (§. 155.),

et dicitur nihil *negativum*, sive *essentiae*, si tamen opponitur enti existenti, dicitur nihil *existentiae*.

§. 167. *Def.* *Nihil essentiae* est quidquid intrinsecus repugnat; *nihil* vero *existentiae* dicitur quidquid non existit, non tamen repugnat ut existat. Ita circulus quadratus est nihil essentiae, alter vero Mundus est nihil existentiae.

§. 168. *Coroll. 1.* Ex nihilo itaque essentiae, sive tanquam ex caussa, sive tanquam ex subjecto nequit aliquid fieri aut produci (§. 123.); ex nihilo autem existentiae potest aliquid fieri, non quidem tanquam ex caussa; quia nihil est, sed potest aliquid evadere per actionem alterius caussae efficientis; nam licet hoc non existat, non repugnat tamen, quod existere possit.

§. 169. *Coroll. 2.* Quod ergo non existit est verum nihil; nam est pura negatio realis existentiae; vel si aliquid dicitur, est aliquid mere *intelligibile* (§. 119), non vero *reale*; hoc est id cui proprietates non repugnant, non vero quod actu realitates habeat. Nihil autem essentiae nulla ratione concipi potest.

§. 170. *Schol.* Quae de possibili, impossibili, et nihilo docuimus, certa sunt atque explorata. Illud hic, praetereundum non est, quod a plerisque in controversiam ponitur; An nempe ideo aliquid dicatur possibile intrinsecus, quia attributa ejus essentialia sibi invicem non pugnant (§. 135.), et impossibile quia pugnant (§. 160.); An potius aliquid sit possibile, quia sic Deo placuit illud esse; adeo ut in Dei potestate sit, quotiescumque vult, efficere, ut quod est intrinsecus possibile, intrinsecus impossibile evadat, et e contra. Circa quod sequentes habentur.

Philosophorum sententiae.

§. 171. Hurtadus (Disp. VIII. Metaph. Sect. I.), Henricus Gandavensis (Quodlibet VI.) sentiunt, rerum possibilitatem ex Dei omnipotentia esse unice repetendam, adeo ut res denominentur possibiles, eo ipso,

quod Deus possit aliquem producere effectum; Idipsum docuere Cartesius, et Leybnitius, et post ipsos Bulfigerus, et Baumeisterus. Et Cartesius quidem fidenter asseruit, nihil esse ex iis, quae nobis videntur impossibilia, quod fieri a Deo nequeat; nihilque intrinsece repugnare, nisi Deus ita velit; unde aiebat, omnes rectas lineas ductas a centro ad circumferentiam circuli, esse aequales, non quia natura circuli id exigat, sed quia ita esse, Deus ipse voluit; *Adeout* (sunt ejus verba P. I. Epist. 180.) *fuisse Deo aeque liberum facere, ne verum foret, omnes lineas ductas a centro circuli ad periferiam esse aequales.* Doctor autem Subtilis cum omnibus fere aliis Philosophis, rerum possibilitatem repetit ex intrinseca, attributorum ipsarum essentias constituentium, non repugnantia; itaut res dicantur possibiles dumtaxat, quia id exigit ipsarum natura. Cum quibus et nos.

THEOREMA I.

Ratio sufficiens intrinsecae possibilitatis, aut impossibilitatis rei alicujus, est in ipsis rei essentialibus.

§. *172. Demon.* Nam solis rei essentialibus inspectis, res vel est intrinsecus possibilis, vel intrinsecus impossibilis. Sane si attributa rei essentialia pugnant inter se, et res dicitur intrinsecus impossibilis (§. 160.); si vero non pugnant, res dicitur intrinsecus possibilis (§. 155.); Ergo ex solis essentialibus rei sufficienter intelligitur, cur res sit potius intrinsecus possibilis, quam impossibilis; Adeoque ratio sufficiens etc. Q. E. D.

§. *173. Coroll. 1.* Semper itaque ac manent eadem essentialia attributa, semper res erit vel intrinsecus possibilis, vel impossibilis; Adeoque.

§. *174. Coroll. 2.* Semper ac manent eadem essentialia attributa, res intrinsecus possibilis non potest

evadere impossibilis ; et e contra ; si namque hoc fieri posset, idem simul esset, et non esset, quod repugnat.

THEOREMA II.

Quod est intrinsecus, et absolute impossibile, est etiam impossibile extrinsecus; hoc est a nulla potentia fieri potest.

§. 175. *Demon.* Nam si secus esset, quia intrinsecus impossibile, ejus attributa essentialia invicem repugnarent (§. 160.); quia vero fieri posset, essentialia non repugnarent (§. 155.); adeoque idem impossibile repugnaret eodem in tempore, et non repugnaret, quod est absurdum. Rursus in absoluta impossibilitate, essentialia attributa semper et ubique sibi mutuo repugnant, secus absoluta impossibilitas tolleretur; Unde quamvis omnipotens sit caussa efficiens, numquam absoluto impossibili existentiam largiri poterit. Sic esto Deus infinita polleat potentia, numquam tamen efficere poterit, ut circulus sit simul, eodem in actu, etiam quadratus; ob internam contradictionem, quae reperitur inter attributa circuli, et quadrati; Adeoque quod est intrinsecus etc. Q. E. D.

Idipsum dicendum de intrinseca possibilitate.

PROPOSITIO

Intrinseca rerum possibilitas, aut impossibilitas est ab externa quacumque caussa; ac proinde a Dei voluntate, independens.

§. 176. *Demon.* Nam ratio sufficiens intrinsecae possibilitatis, aut impossibilitatis est in solis rei essen-

tialibus, omni alia potentia externa seclusa (§. 172.); Ergo etc. Deinde per nullam externam potentiam fieri potest, ut quod est intrinsecus impossibile evadat intrinsecus possibile, et e contra (§. 175.); Ergo etc. Q. E. D.

Argumentis oppositis occurritur.

§. *177.* *Objic.* *1.* Nihil dari, ac ne quidem fingi potest, quod sit a Deo independens; Ergo etiam intrinsecus possibilia, et impossibilia a Deo dependent; Adeoque etc.

§. 178. R. dist. ans. Nihil actu existens dari etc., conc., pure intelligibile, n. ans; Ergo etc. dist. primum cons., et intrinsecus possibilia etc. sunt aliquid actu existens, nego; sunt aliquid intelligibile, conc. Adeoque etc. n. ult. consm. Nulli sane dubium esse potest, omnia quae in Mundo obtinent, a Deo Optimo Maximo pendere. Si namque quidquid in hoc Mundo existit est contingens, et limitatum, factum proinde, a Deo utique recognoscit id quod habet, ab eoque propterea pendet. Jam vero possibilia, et impossibilia actu non existunt, nec sunt aliquid positivum, sed verum nihil existentiae, et solum intelligibilia concipiuntur; (§. 169.), quid ergo vetat, quominus quod est pure intelligibile a Deo non pendere dicatur?

§. *179.* *Contra.* Atqui etiam pure possibilia a Dei voluntate dependent; Ergo n. r. Prob. subsm. Si possibilia a Deo non dependerent, Deo non existente, ea existerent; Atqui Deo non existente, nihil potest existere; Ergo etc.

§. 180. R. dist. maj. Si etc. existerent possibilitate intrinseca, conc., extrinseca, n. maj.; et dist. min.; Atqui Deo etc., possibilitate extrinseca, conc.; possibilitate intrinseca, n. min.; Ergo etc., n. consm. Si Deus (per impossibile) non existeret, utique non posset aliquid existentiam accipere, quia caussa efficiens deficeret, quae illud a statu possibilitatis ad statum existentiae perduceret; At semper in statu possibilitatis maneret, intrinsecus proinde possibile, quia semper non

repugnantiam in suis essentialibus contineret. Ex allato itaque argumeuto hoc tantum potest inferri, possibilia numquam ad existentiam pervenire, dato quod Deus non existeret, non vero quod ipsa non sint intrinsecus possibilia.

§. 181. *Contra*. Atqui si (per impossibile) Deus non existeret, nihil etiam esset intrinsecus possibile; Ergo n. r. Prob. subsm. Deo non existente, repugnaret cujusque rei existentia; Atqui possibilitas concipi nequit cum repugnantia ad esse; Ergo etc.

§. 182. R. dist. maj. Deo non existente etc. defectu sui, n. maj., defectu caussae producentis, conc., et dist. min.; Atqui etc., defectu sui, conc.; defectu caussae producentis, n. min.; Ergo etc., n. consm. Deo namque non existente repugnaret quidem cujusvis rei existentia, sed non defectu sui, quia per se unaquaeque res apta esset ad existentiam recipiendam, bene vero defectu caussae producentis, quae cum non existeret, rebus ceteroquin in se possibilibus existentiam tribuere non posset. Ut autem id clarius intelligatur, aliquod exemplum exhibeamus oportet. Descriptio, ex. gr. *quadrati*, aut *circuli*, omnino possibilis in se intelligitur, quia nempe nullam involvit contradictionem, nullamque repugnantiam. Fiat vero hypothesis, quod nulla existeret caussa, quae quadratum, aut circulum describere posset; tunc descriptio quadrati, aut circuli numquam fieret, imo repugnaret; quia nihil sine caussa fieri potest (§. 42.). Quis tamen diceret, ob caussae defectum, circuli, aut quadrati descriptionem in se repugnantiam continere? Sane hujusmodi descriptio, in se possibilis, semper intelligeretur.

§. 183. *Obije*. 2. Quod in Deo reperitur, a Deo utique dependet; Atqui possibilitas rerum intrinseca in Deo reperitur; Ergo a Deo dependet.

§. 184. R. dist. maj. Quod in Deo reperitur tamquam objectum divinae voluntatis etc., conc. maj.; tamquam objectum Divini intellectus, sudist., a Deo dependet, ut sit tale, nego, ut concipiatur quale in seipso est, conc. maj., et dist. min. Atqui etc., tamquam objectum Divini intellectus, conc., tamquam ob-

jectum Divinae voluntatis, n. m.; ergo etc: n. consm. Possibilia, ut pure possibilia sunt, non sunt Divinae voluntatis objectum, nec ut talia sint a voluntate Dei dependent; licet, prout ad futuritionem libere determinentur, ejus objectum dici possunt; solum autem sunt in Deo, ut objectum intellectus Divini, hoc est ab intellectu Divino percipiuntur. Jam vero intellectus talis potentia non est, ut objectum suum pro lubitu suo faciat esse, quod vult, sed solum, ut illud omnino respiciat, quemadmodum in se est. Licet ergo possibilia in Deo inveniantur, ut objectum Divini intellectus, non inde sequitur, possibilia a Deo pendere.

§. 185. *Contra.* Atqui entium possibilitas ita est in Deo, ut sit ipsius voluntatis objectum; Ergo n. r. Prob. subsm. Quod divinae omnipotentiae subijcitur, certe divinae voluntatis est objectum; Atqui entium possibilitas divinae omnipotentiae subijcitur; Ergo etc,

§. 186. R. Concessa maj., dist. min.; Atqui entium possibilitas extrinseca etc., conc.; possibilitas intrinseca, n. min.; Ergo etc., n. consm. Hoc argumentum quod ex mente adversariorum, insolubile videtur, nullius fere est roboris. Expendamus quaeso, tantisper, quid nomine veniat omnipotentiae Dei, et statim patebit, quam pessimam caussam agant adversarii. Omnipotentia Dei nihil certe est aliud, quam summa illa, atque infinita potentia, ea omnia faciendi, quae facere vult. Jam vero Dei voluntas sapientia regitur, et consilio; proindeque Deus sua voluntate ea potest facere, quae ipsius intellectui sunt consona. Jam vero impossibilia Dei intellectui non respondent, quia sese invicem destruunt; igitur Dei Omnipotentia ad impossibilia se non extendit; neque insuper possibilium ratio esse potest, quia hoc in casu, sicuti possibilia, ita et impossibilia posset efficere. Possibilia itaque tantum quia ad existentiam producuntur, a Dei pendent voluntate, non vero ut intrinsecus possibilia sint.

§. 187. *Contra.* Atqui possibilitas intrinseca subijcitur Dei omnipotentiae; Ergo redit argumentum. Prob. subsm. Si haec illi non subijceretur, omnipotentia Divina intra limites possibilium coerceretur; Atqui divina

omnipotentia est infinita, et nullis limitibus potest coerceri; Ergo etc.

§. 188. R. neg. suppositum. Nam possibilia, prout possibilia sunt, limitibus non coarctantur. Sane dato uno possibili in aliquo genere, infinita possibilia in eodem genere concipi possunt; et dato alio possibili in alio genere, infinita possibilia illi similia in illo genere concipi possunt. Ex. gr. dato uno circulo, infiniti quoque circuli ipsi similes, possibiles concipiuntur; nam si impossibilis esset aliquis circulus in serie circulorum, ille non esset similis dato circulo, cum non possint invicem pugnare quae simila sunt; Atqui ipsi similis supponitur; nullus ergo circulus impossibilis esset, uno dato circulo possibili; adeoque infiniti circuli possibiles sunt. Idem ratiocinium rerum omnium speciebus applicari potest. Quare cum infinitae quoque species possibiles concipiantur, cujusvis autem speciei individua infinita possibilia sint, evidentissime patet, infinities infinita esse possibilia. Nullis ergo limitibus Dei omnipotentiam coercemus, cum illam ad omnia extendimus possidilia.

Objectiones aliae solutae ratione.

§. 189. I. Nulla perfectio dari potest, quae sit a Deo independens; Atqui intrinseca possibilitas est perfectio; Ergo a Deo dependet.

II. Deus pstest ex nihilo res efficere; sed nihil contradictionem involvit; Ergo Deus effigere potest, quae contradictionem involvunt. Adeoque etc.

III. Res non possunt cognosci a Deo velut possibiles, nisi prius ipse cognoscat se posse illas producere; Igitur etc. Tandem

IV. *Apud Deum non est impossibile omne verbum*; (Lucae Cap. I. v. 37.); atqui hoc esset falsum si intrinseca rerum possibilitas, aut impossibilitas a Dei voluntate non penderet; Ergo etc.

§. 190. R. Ad singula, et ad I. dist. maj. Nulla perfectio positiva, etc., conc., negativa, n. maj.; sed etc.,

dist. min., positiva, n. min., negativa, conc. min.; Ergo etc, nego consm. Nulla certe perfectio positiva actu existens dari potest, quae a Deo non dependeat. Ast possibilitas intrinseca, cum nihil aliud praeseferat, quam puram ad esse non repugnantiam, non est aliquid positivum (§. 169.), quia nihil actu existens, est nihil reapse, nullamque actualem realitatem dicit; adeoque optime a Deo independens dici potest.

Ad II. dist. etiam maj. Deus etc.; ex nihilo essentiae, nego; ex nihilo existentiae conc. maj. Sed nihil etc., dist. min. Nihil essentiae, conc., nihil existentiae, n. min.; Ergo etc. n. consm. Deus namque cum dicitur res producere, non ea producit, quae contradictionem involvunt, sed solum ea, quae nihil existentiae habent, existentia facit (§. 160.).

Ad III. Dist. ans. Res etc. possibiles possibilitate objectiva, nisi prius etc., conc. possibilitate logica, n. ans, et consm. Quamvis Deus cognoscat posse producere res possibiles, tamen non ideo possibiles praecise dicuntur, quia possunt a Deo produci; sed quia primo concipiuntur non repugnare, idcirco possunt a Deo produci, quae quidem rerum possibilitas, ut possint produci, objectiva est, quae consequitur ipsam logicam rerum possibilitatem.

Ad IV. Tandem. Ex quo intrinseca rerum possibilitas, aut impossibilitas a Deo non pendere dicatur, *non est hoc*, ait Angelicus Doctor (P. 1. q. 25. art. 3.) *contra verbum Angeli dicentis*: non erit impossibile apud Deum omne verbum; *id enim quod contradictionem implicat verbum esse non potest, quia nullus intellectus posset illud concipere*; Adeoque etc. (*a*).

(a) Consul. P. Fortunatus a Brixia Metaph., P. I. Dissert. II. Prop. I. Storchenau Ontol. Sect. II. Cap. I. Carolus Joseph a S. Floriano Ontol. Sect. I. Art. II. Prop. I. Josephus Tamagna Ontol. Sect. II. Art. III. Cap. I. Josephus Antonius Ferrari Disp. III. Q. III. Jacquier Metaph. P. I. Cap. II.

CAPUT II.

De Entis existentia, atque essentia.

§. 191. *Def. Existentia est entis positio extra nihil; ita ut possit agere, vel pati*; Quod namque non existit, cum sit nihil (§. 169.), nec agere potest, nec pati; cum ergo praeter meram possibilitatem, in eo statu ponitur ut agere possit, vel pati, tunc dicitur quod existat.

§. 192. *Coroll. 1.* Ut ergo ens aliquod existere dicatur, non sufficit ut sit possibile, sed omnino requiritur, ut caussa efficiens a statu purae possibilitatis ad eum statum transferat, in quo possit agere, vel pati. Quare

§. 193. *Coroll. 2.* Quod est possibile, non idcirco existit; seu, ut aiebant Veteres: *a posse ad esse non valet consequentia;* quia sola possibilitas, ad existendum realiter, non sufficit (§. 192.). Aliunde vero

§. 194. *Coroll. 3.* Quod existit est etiam possibile; seu: *ab actu ad potentiam valet consequentia*. Nam si quod existit non fuisset possibile, nulla vi, nullaque actione existentiam recipere potuisset (§. 176.).

§. 195. *Coroll. 4.* Quod non existit, non idcirco est impossibile; seu: *a non non esse, ad non posse non valet consequentia;* Potest namque ens aliquod esse possibile, et interim non existere, vel quia caussa efficiens non potuit, vel adhuc noluit actione sua illud producere.

§. 196. *Coroll. 5.* Quod non existit nequit operari; nempe: *operatio sequitur esse*. Nam operatio est effectus, at effectus quilibet suam caussam producentem agnoscit (§. 56.). Jam vero quod non existit, cum sit nihil (§. 196.), nullius rei caussa esse potest (§. 184.); Adeoque

§. *197. Coroll. 6.* Quod non existit, repugnat ut sibi tribuat existentiam. Nam tribuere sibi existentiam est operari; Sed quod non existit nequit operari (§. 196.) Ergo etc.

§. *198. Def. Essentia est complexus illarum proprietatum; quibus res constituitur qualis est, et talis potius, quam alia.*

§. *199. Schol.* Proprietates illae, ex quibus primo entis essentia coalescit dicuntur *entis essentialia*, eae vero quae entis essentiam primo non constituunt, sed ab essentia necessario dimanant, *entis attributa* appellantur. Sic ex. gr. tria latera in triangulo, sunt trianguli *essentialia*, tres vero anguli, et horum aequalitas duobus rectis, sunt trianguli *attributa*.

§. *200. Coroll. 1.* Posita entis essentia ponitur ens, illa ablata, et hoc aufertur. Nam per essentiam ens est id quod est (§. 198.); posito igitur ente, necessario ponitur ejus essentia, et vicissim.

§. *201. Coroll. 2.* Quodlibet Ens necessario sua gaudet essentia. Nam si non gauderet essentia, esset simul, et non esset ens; esset, ut supponitur; non esset autem, quia sine essentia conciperetur (§. 110.).

§. *202. Coroll. 3.* Posito aliquo entis attributo ponitur ens, ipso ablato et hoc aufertur. Nam entis attributa invicem connexa sunt, si unum itaque auferatur, et tota essentia auferatur oportet.

§. *203. Coroll. 4.* Negatio entis est negatio attributorum entis. Negatio siquidem entis est negatio ejus, quod est, scilicet essentiae entis, ergo et attributorum, quae ab essentia necessario dimanant (§. 199.)

§. *204. Animad.* Essentia quandoque *ratio formalis*, et *natura* a Scholasticis appellatur; aliquo tamen cum discrimine; dicitur nempe *ratio formalis*, quando consideratur uti forma rem constituens; vocatur autem *natura* cum spectatur tamquam radix attributorum, et operationum entis.

§. *205. Scholion.* Essentiae aliae dicuntur *actuales reales*, *aliae possibiles intelligibiles*. Possibiles, et intelligibiles essentiae, nihil aliud praeseferunt, nisi intrinsecam possibilitatem unionis essentialium; et ejusmodi

continentur in intellectu mentis aeternae; sunt nempe infinitae illae ideae archetypae, quas Deus intellectu suo gerit, vel infiniti illi modi, quibus potest essentia Dei a creaturis participari. Essentiae vero actuales et reales, actualem essentialium unionem praeseferunt, et ejusmodi in natura existunt. Sic essentia possibilis trianguli, consistit in hoc; ut possibile sit, tres lineas datas, quarum duae simul sumptae, sint tertia majores, spatium claudere. Actualis vero erit; si tres illas lineas actu describam.

§. 206. *Coroll. 1.* Intelligibiles ergo rerum essentiae invariabiles sunt, atque aeternae. Nam ipsae non praeseferunt, nisi meram non repugnantiam unionis essentialium (283.); Sed intrinseca rerum possibilitas, vel non repugnantia est invariabilis, et a quacumque externa caussa independens (§. 176.); Ergo nihil vetat, quominus intelligibiles rerum essentiae necessasariae, et aeternae dicantur.

§. 207. *Coroll. 2.* Essentia possibilis, et intelligibilis ab actuali existentia contingentium realiter distinguitur. Nam essentia possibilis, et intelligibilis immutabilis est, necessaria, atque aeterna (§. 225.); contingentium vero existentia mutabilis est, uti patet; Ergo etc.

§. 208. *Coroll. 3.* Realis, et actualis essentia numquam ab existentia potest separari. Nam nullum Ens existens concipi potest absque sua essentia (§. 201.); Ergo etc.

§. 209. *Animad.* Reales et verae substantiarum essentiae nobis sunt incompertae. Nam complexus omnium proprietatum essentialium, ens in esse sui constituunt (§. 198.); Atqui non omnes proprietates, quae sunt in substantiis sive spiritualibus, sive corporalibus, nobis innotescunt; Ergo etc.

§. 210. *Schol.* Esto de veris rerum essentiis judicium nullum rectum possit ferri, utpote nobis sint impervia omnia attributa, quae rebus insunt (§. 109.), negari tamen non potest, essentiam quamdam rerum, quam *nominalem* appellamus, nobis sistere posse. Esto enim nos lateant omnia entis attributa; pleraque tamen satis assequimur.

Quae itaque inter rei proprietates ejusmodi est, ut ceteras omnes quasi radix et fundamentum quodammodo complectatur; hanc, cum alia non suppetat, essentiam nominamus.

CAPUT III.

De variis entium speciebus.

§. 211. *Animad.* Hic de ente actuale, futuro, potentiale, positivo, privativo, negativo, reale, ficto, imaginario, necessario, et contingente, mutabili, et immutabili verba faciemus.

§. 212. *Def.* 1. *Ens actuale* dicitur, quod actu existit, ut *hic Mundus.*

§. 213. *Def.* 2. *Ens futurum* est illud, quod licet actu non existat, erit tamen tempus, in quo existentiam habebit, veluti *Antichristus.*

§. 214. *Def.* 3. *Ens potentiale, seu in potentia*, est illud, quod licet non repugnet, tamen non existit, nec futurum erit; veluti plures Mundi.

§. 215. *Animad.* Quae aliquid ponit in ente vocatur *realitas*; quae vero nihil, dicitur *defectus*; ita *lux* dicitur realitas, *tenebrae* vero defectus; lux enim est quid positivum, tenebrae vero negativum. Duplex autem distinguitur realitas, *limitata* nempe, atque illimitata. Prima est cum defectu conjuncta, ut scientia, prout est in homine; secunda vero est cujusvis defectus expers, veluti scientia in Deo.

§. 216. *Def.* 4. Ens positivum est illud, quod aliquam continet realitatem; privativum vero, quod realitatem non continet, capax est tamen ad eam recipiendam. *Ita lux*, *scientia*, *visio*, dicuntur entia positiva; *tenebrae* vero, *ignorantia*, *caecitas* dicuntur entia *privativa*.

§. 217. *Def.* 5. *Ens negativum* est illud, quod est incapax realitatis, uti est impossibile intrinsecus, quod dicitur etiam *non ens*.

§. 218. *Def.* 6. *Ens reale* nihil aliud est quam possibile intrinsecus. *Ens fictum* est illud, cui nulla realitas correspondet, estque idem ac non ens, concipitur tamen ut ens, et propter ideae alicujus deceptricis notionem, ut possibile enunciatur, ut *Centaurus*; *Ens* vero *imaginarium* est illud, quod ideam exhibet imaginariam, veluti equus volans.

§. 219. *Schol.* Distinguendum est inter ens *fictum*, et *imaginarium*. Nam ens fictum nullam habet realitatem; Ens vero imaginarium dicitur ens verum, et reale, cui tamen quaedam, imaginatione tribuimus, quae ipsi non competunt. Sic linea Geometrarum, quam instar fili subtilissimi imaginamur, est ens imaginarium; ita namque lineam imaginantes, tribuimus ipsi latitudinem aliquam, qua illa caret.

§. 220. *Def.* 7. *Necessarium illud dicitur*, *cujus oppositum repugnat.* Sic in triangulo tria latera necessaria dicuntur, quia sine illis impossibile prorsus est, atque repugnans, triangulum concipi.

§. 221. *Schol.* Necessarium multiplex est, prout multiplex est impossibile, et repugnans (§. 159.); scilicet *absolutum*; et *relativum*; item necessarium *existentiae*, ad *existentiam*; *essentiae*, *et ad essentiam*.

§. 222. *Def.* 8. *Necessarium absolutum* est illud, quod sua natura est tale; hoc est, cujus oppositum est absolute, et intrinsecus impossibile. Ita absolute necessarium est, circulum esse rotundum.

§. 223. *Def.* 9. *Necessarium relativum* dicitur illud, quod licet in se tale non sit, in dato autem respectu est tale; atque triplex est, *physicum* nempe, *hypoteticum*, et *morale*.

§. 224. *Def.* 10. *Necessarium physicum* illud est, quod est tale si Naturae leges solum inspiciantur. Sic necessarium physice est, hominem, obtruncatu capite, mori.

§. 225. *Def.* 11. *Necessarium hypoteticum* est, quod in data tantum hypotesi est tale. Ita necessarium est, lumen in terris adesse, facta hypothesi, quod Sol splendeat.

§. 226. *Def.* 12. *Morale* tamen *necessarium* dicitur, si leges humanae inspiciantur; hoc pacto necessarium est, hominem societati noxium in patibulum suspendi.

227. *Def.* 13. *Necessarium existentiae* dicitur ens, quod ita existit, ut non possit non existere; hoc est necessariam habet existentiam, talis est solus Deus.

§. 228. *Def.* 14. Necessarium ad existentiam est id, sine quo existentia haberi nequit. Ita caussa est necessaria ad existentiam effectus.

§. 229. *Def.* 15. Necessarium *essentiae* dicitur, illud, cujus essentia est necessaria, et invariabilis.

§. 230. *Def.* 16. *Necessarium ad essentiam* est id, ex quo essentia intrinsecus componitur. Hoc pacto essentialia sunt necessaria ad essentiam.

§. 231. *Animad.* Ens quod ab alio pendet, ut existentiam recipiat, *extrinsecus pendere* dicitur; quod vero pendet quoad essentiam, dicitur pendere intrinsecus. Ita creaturae a Deo extrinsecus dependent; ab ipso enim habent ut existant; essentia vero, intrinsecus ab essentialibus pendet; ex ipsorum quippe unione essentia coalescit (§. 199.).

§. 232. *Def.* 17. *Contingens dicitur id omne, cujus oppositum esse potest*; atque duplex est *Metaphysicum*, et *physicum*.

§. 233. *Def.* 18. *Metaphysicum contingens* illud est, cujus oppositum est metaphysice possibile. Sic Mundus contingenter metaphysice existit, quia oppositum, inspecta Dei potentia, possibile est.

§. 234. *Def.* 19. *Cotingens physicum* vocatur id, cujus oppositum est physice possibile; ita contingenter physice scibo.

§. 235. *Coroll.* 1. Quod est physice necessarium (§. 224.) est metaphysice contingens (§. 233), quia ejus oppositum a Deo fieri potest.

§. 236. *Coroll.* 2. Quod est hypothetice necessarium (§. 225.), est absolute contingens, sicuti quod est impossibile praecise ob suppositionem factam (§. 164.), absolute, et ablata suppositione, est possibile.

*

§. 237. *Def. 20. Mutabile dicitur id, quod aliter se habere potest, ac est*; idest, quod vel novas determinationes acquirere potest, vel quas habet amittere. Hinc corpora mutabilia sunt; potest quippe ipsorum extensio augeri, et minui.

§. 238. *Def. 21. Immutabile est, quod aliter se habere nequit, ac est*: videlicet quod nihil potest de novo acquirere, nihilque de eo, quod habet amittere.

§. 239. *Coroll. 1.* Ens mutabile est contingens, et contra, omne contingens est mutabile. Quid namque est ens contingens? Illud certe, cujus oppositum est possibile (§. 232.), hoc est aliter esse potest ac est, scilicet mutabile (§. 237.).

§. 240. *Coroll. 2.* Omne immutabile est necessarium, et vicissim. Nam oppositum necessarii est impossibile (§. 222.), sed neque immutabile potest aliter se habere, ac est (§. 138.); Ergo etc. Itaque

§. 241. *Def. 22. Ens necessarium illud est proprie, cujus existentia est absolute necessaria. Contingens* vero, *cujus existentia contingens est.* Hinc

§. 242. *Coroll. 1.* Ens necessarium est ens a se, quod nempe intrinsecus, et in sua ipsamet essentia rationem habet sufficientem suae existentiae; estque a quacumque caussa independens, atque necessitate suae naturae existit. Non sic autem ens contingens; in alio quippe rationem sufficientem suae existentiae habet; estque propterea dependens, et ab alio.

§. 243. *Coroll. 3.* In ente necessario existentia est necessaria, sicuti necessaria est ejus essentia; in ente namque necessario essentia, et existentia sunt unum, et idem. In ente autem contingente existentia est contingens; ejus enim ratio sufficiens est ipsi extrinseca, et ab alio dependens. Itaque

§. 244. *Coroll. 3.* Necessarium, et contingens inter se contradictorie opponuntur; atque propterea inter ens necessarium, et contingens nec datur, nec dari potest medium, sed unius inclusio, alterius exclusionem continet. Unde quidquid est, vel necessarium est, vel contingens, nihil medium.

PROPOSITIO I.

Existunt entia contingentia.

§. 245. *Demon.* Nam quaecumque in hoc Mundo entia obtinent, sunt continue mutationi obnoxia; alia oriuntur, alia intereunt, modo hanc, modo illam subeunt modificationem; nunc aliquas acquirunt qualitates, nunc quas habent, amittunt; crescunt, decrescunt, atque in novas quandoque abeunt substantias, ut cuilibet vivida, constanti, et quae non fallit experientia notum est; Atqui ea quae sunt mutabilia, sunt quoque contingentia (§. 239.); Ergo. etc Q. E. D.

PROPOSITIO II.

Existit Ens necessarium.

§. 246. *Demon.* Nam si ens necessarium non existeret, repugnaret omnino existere contingentia; haec namque sunt ab alio (§. 242.); Atqui entia contingentia existunt (§. 245.); Ergo etc. Praeterea quodlibet ens vel necessarium est, vel contingens, inter haec non datur medium (§. 244.); Adeoque quodlibet ens vel est a se, et habet rationem sufficientem suae existentiae in sua ipsamet essentia (§. 342.); vel habet rationem sufficientem propriae existentiae in alio (§. eod.); Ergo si existunt contingentia, existit ens necessarium. Q. E. D.

PROPOSITIO III.

Contingentia nequeunt esse attributa entis necessarii, neque e contra.

§. *247. Demon.* Nam omne ens contingens est mutabile, et vicissim (§. 239.); omne autem immutabile est necessarium (§. 240.); et vicissim; Atqui necessarium, et contingens, mutabile, atque immutabile contradictorie opponuntur; Ergo etc.

§. *249. Scholion.* Bene se habent usque modo de ente necessario, et contingente exposita, mutabili atque immutabili. At verum ne adeo erit, ens necessarium existere, ut ne quidem infinita series contingentium (concatenatio scilicet contingentium, quorum unum ab altero pendet, et alter ab altero, ac annuli in catena colligati usque in infinitum) sine ente necessario, existere queat? Ita profecto. Interim tum Veterum, cum Recentiorum variae hanc super rem sunt

Philosophorum sententiae.

§. 249. Praecipui inter Veteres, qui entium contingentium seriem sine ente necessario existere posse affirmarunt Democritus fuere, atque Epicurus. Et Democritus quidem (ex Laertio lib. IX. Cap. 7.); « principia omnia esse Atomos, atque inane dixit . . . . » Infinitos esse Mundos generationi, et corruptioni obnoxios. Nihil ex eo quod non sit, fieri, neque in id, » quod haudquaquam sit, corrumpi . . . Atomos praeterea et magnitudine, et numero esse infinitas, ferrique in toto, atque rotari, ac ita concretiones omnes gignere ignem, aquam, terram etc. » Heu quot paradoxa in unum congesta! Sed non minus ridicula sunt, atque absurda, quae profert Epicurus (Epist. ad Herodot. ex eod. Laertio Lib. X. segm. 24.) cujus summa haec

fere est : « Nihil ex nihilo gigni. Principia rerum » esse duo, planum, sive corpora, et vacuum, utra» que infinita. Corpora esse vel mixta, vel principia, » sive atomos ; et has quidem aeternas, et immutabi» les ; pondere, figura, et magnitudine praeditas, ae» terno sibi ingenito motu percitas, per infinitum ina» ne vagantes ; sibi tandem fortuito occurrissue inde » combinationibus ortis, totum hoc, quod in universo » conspicitur, nulla externa accedente caussa, effor» masse ». At quis haec audiens temperet a risu ! Nihilominus (credibile ne erit ?), hisce nostris temporibus, in quibus scisso tenebrarum velo, et restituto, ut aiunt, rationis dominio, homines buccis crepantibus, se a praejudiciis liberos esse, ac lumine nescio quo novo, atque saeculis praeteritis prorsus abscondito, praeditos, venditant, non pauci sunt, qui tam absurda, ridicula, atque inania, ab ipsis Gentilibus risu excepta, et ab omnibus Philosophis, tamquam insanientis cerebri deliria, oblivioni amandata, e cineribus excitare, atque perfricta fronte, iterum in medium proferre sunt ausi. Nos hic, quae seriem contingentium usque in infinitum, sine ente necessario, spectant, examinabimus.

§. 250. *Animad.* Series contingentium dupliciter considerari potest ; vel nempe ut *rectilinea*, vel ut *circularis*. Erit rectilinea, si entia, continuato ordine, et nexu se habent ; circularis vero, si datis quibusdam caussis, iisque haustis, ad eamdem caussam fit regressus.

THEOREMA I.

Ens, in quo contingentia rationem sufficientem habent propriae existentiae, est ens necessarium.

§. 251. *Demon.* Nam quodlibet ens aut est necessarium, aut contingens, nec ullum datur ens medium, aut cujuslibet alterius generis (§. 244.) ; Atqui entia

contingentia in alio habent rationem sufficientem propriae existentiae (§. 242.) ; Ergo in solo ente necessario habent ; Adeoque etc. Q. E. D.

THEOREMA II.

Sine Ente necessario, existere contingentia, est omnino repugnans.

§. 252. *Demon.* Nam entia contingentia sunt ab alio (§. 242.), atque in ente necessario rationem sufficientem propriae existentiae habent (§. 252.) ; Ergo sine ente necessario ea non possunt existere ; Adeoque etc. Q. E. D.

THEOREMA III.

Series contingentium, quomodolibet in infinitum producta concipiatur, suam contingentiam non amittit ; est nempe semper contingens.

§. 253. *Demon.* Nam si series etc. contingentiam amitteret, evaderet ens necessarium ; inter enim haec duo, medium non admittitur (§. 244.). Contingentia ergo essent attributa entis necessarii, vel entis necessarii constitutionem ingrederentur ; Atqui contingentia nequeunt esse attributa entis necessarii (§. 247.), neque ejus constitutionem ingredi possunt, quia ens necessarium necessariam babet tum essentiam, cum existentiam (§. 243.) ; Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Quo magis protrahitur entium contingentium series, eo magis ente necessario indiget, ut existat.

§. 254. *Demon.* Nam si contingentia talis sunt naturae, ut sint ab alio (§. 242.); et ita quidem ut nullum concipi possit, quod in ente necessario rationem sufficientem suae existentiae non habeat (§. 252.), profecto quo plus crescunt contingentia, eo magis ente necessario indigent a quo producantur, et conserventur. « Concipiatur (ait Anton. de Martiis Ontol. 162.) » catena multis annullis contexta, in qua unus alterum sustenet; attamen extra totam catenam fulcrum » aliquod sit, oportet, a quo tota sustineatur: secus tota pondere suo corruet. Quod si annulos addas in infinitum, infinita vi externa indigebit, qua » teneatur, aliter infinito impetu corruet ». Ergo etc. Q. E. D.

PROPOSITIO

Infinita series contingentium sine ente necessario absolute repugnat.

§. 255. *Demon.* Ut aliqua entium series rectilinea instituatur, concipi debet ens aliquod in serie, venuti primum, cui alia unum post unum conjugantur, ut alterum ab altero dependeat, itaut fiat veluti entium recta catena (§. 230.); Jam vero ens istud quod primum concipitur, et a quo alia pendent est necessarium, vel contingens? Contingens utique, supponitur quippe in serie contingentium; Ergo non intra se, sed extra, in alio scilicet habet rationem sufficientem suae exi-

sententiae (§. 242.): Atqui ens illud, in quo contingentia habent rationem sufficientem, est ens necessarium (§. 251.); Ergo ens istud in ente necessario suam habet rationem sufficientem; Ergo ens istud, sine ente necessario nec existeret, nec posset existere; adeoque et infinita series etc. Deinde sublato ente necessario, impossibilis est entium contingentium existentia (§. 252.); ipsa proinde sunt verum nihil (§. 169.), quod defectu caussae efficientis, numquam haberent existentiam; Ergo series etc. esset purum nihil; adeoque etc. Tandem. Si entium contingentium series sine ente necessario existere posset, id vel maxime foret quia infiniti entium contingentium collectio evaderet necessaria; Atqui hoc absurdissimum est, tum quia sine ente necessario nullum contingens, et multo magis contingentium series existere potest (§. 152.); tum quia contingentium series semper contingens manet (§. 258.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 256. *Demon*. 2. Si dari posset entium contingentium infinita series circularis, opus foret, ut in alicujus effectus productione ens B, v. g., sit motus ab ente A, ens A ab ente C, ens C ab ente D, ens D ab ente E, et iterum ens E moveretur ab ente B. ens B. ab ente A, et sic in infinitum circulariter; atqui series ista circularis in infinitum repugnat omnino; Ergo etc. Prob. min. Ex illis entibus B, A, C. etc., postquam ens B fuit ab ente A motus, ens A ab ente C, etc., quando interum alius exorditur circulus, sciscitor ab Epicureis, atque Democriticis: utrum ens A, quod in secundo circulo movetur a C, sit illud ipsum ens, quod in primo circulo movit B, an vero diversum? non secundum; eo ipso namque foret series infinita rectilinea, quam repugnare jam diximus (§. 255.); Erit ergo illud ipsissimum. Sed iterum quaero, quando ens A movetur ab ente C, num istud ens C existat intra circulum illum necessario vel contingenter? si necessario existit; ergo series illa circularis non foret amplius infinita, sed finita, quia ens C in seipso contineret rationem sufficientem tum existentiae suae (§. 241.), cum aliorum (§. 251.): si vero existeret contingenter, ergo

numquam haberetur effectus productio; enim vero, movens ad motum se habet, ut instrumentum ad caussam; igitur quousque non habetur caussa, quae ex se sit capax movere instrumentum, numquam aliquid operabitur; sed in hypothesi, ex entibus illis, unum semper alterum moveret circulariter in infinitum, nec ullum est ens, quod ex se sit capax movendi alia indipendenter ab alio; Ergo nusquam, et numquam haberetur effectus productio; Igitur series illa circularis infinita prorsus repugnat; Adeoque etc.

Solvuntur argumenta, quae solent opponi.

§. 257. *Obijc.* 1. Potest existere ens necessarium, quin ullum ens contingens existat; ergo a pari possunt existere contingentia sine ente necessario; adeoque etc.

§. 258. R. conc. ans; n. utramque consm., et paritatem. Maximam inesse disparitatem in eo quod in argumento praetendunt adversarii, ille solum non videt; qui in meridiana luce penitus caecutit. Ideo namque dicimus posse existere ens necessarium, quia istud in seipso, et non in alio ente rationem sufficientem suae existentiae habet (§. 242.); necessitate proinde suae naturae existit, nec ente contingente indiget ut existat. Idip um autem de ente contingente affirmare non possumus; nam contingentia, ut existant, pendent ab ente necessario, atque necessariam cum eo dicunt connexionem, ista ut si excludatur ens necessarium, ipsa contingentia non existerent unquam.

§. 259 *Contra.* Atqui sicuti ens necessarium existere potest sine contingentibus, ita et contingentia existere possunt sine ente necessario; Ergo n. r. Prob. subsm. Ideo, per vos, ens nececsarium stare potest sine contingentibus, quia neeescariam non habet connexionem cum contingentibus, contingentia vero habent cum ente nacessario; Atqui nulla datur connexio necessaria contingentis, cum ente necessario; Ergo etc.

§. 260. R. concessa maj. dist. min.; Atqui etc., hoc est, ex quo existunt contingentia non sequitur exitere ens necessarium, nego; ex quo existit necessarium

non necessario deducitur existere contingentia, conc. min.; Ergo etc., n. consm. Ex quo namque ens necessarium existat, non inde deduci potest existere quoque contingentia.. Nam esto contingentia ab ente necessario habent ut existant, ens tamen necessarium non ea necessario producit, ut non possit ea non producere, sed liberrime, ita nempe, ut pro lubitu suo ea facit existere, et non existere. Unde ens necessarium non dicit necessariam connexionem ad entia contingentia, ita ut eo posito et illa poni debeant. Contra vero cum entia contingentia dependentiam ab ente necessario dicant, nec sine eo existere possint (§. 252.); hinc merito positis entibus contingentibus, ens necessarium poni debet; adeoque contingentia connexionem habent cum ente necessario, sicuti effectus habet cum caussa sua; quod scilicet, sicuti effectus sine caussa concipi est omnino impossibile (§. 37.), ita omnino repugnat concipi contingentia sine ente necessario, a quo dependent.

§. 261. *Contra.* Atqui sicut existente ente necessario, nequit colligi existere contingentia, ita ex quo existunt contingentia nequit inferri existere ens necessarium; Ergo n. r. Prob. subsm. Si ex existentia entis contingentis necessario inferretur entis necessarii existentia, procul dubio contingentia existerent necessario; Atqui hoc, ex ipsamet assertione vestra, repugnat; Igitur etc.

§. 262. R. dist. sequelam maj. Si etc. necessario existerent necessitate hypothetica, conc.; necessitate absoluta, n. maj.; Atqui etc. dist. min. Si sermo sit de necessitate hypotetica, n. m., de necessitate absoluta, conc. min.; Ergo etc., nego consm. Quod necessario existere dicitur, non semper est tale absolute, et intrinsece, sed quandoque hypothetice (§. 223.), si nempe in dato tantum respectu, vel facta tali suppositione consideretur. Hinc necessarium dicimus lumen in terris adesse, non absolute, et simpliciter loquendo (contingens namque est in se Terram Sole illuminari), sed tantum facta hypothesi, quod Sol actu in Orbe splendeat, impossibile quippe est, Sole splendente, Terram tenebris involvi. Sic creaturae contingenter existunt; pos-

sunt quippe non existere; possunt aliter se habere, at facta hypothesi quod actu existant, necessario existunt; alias existerent, et non existerent eodem in actu, quod repugnat. Hinc natum effatum illud in Scholis · *Omne quod existit, necessario existit*, necessitate nempe hypothetica, non absoluta. Quando itaque negamus creaturas necessario existere, de necessitate loquimur absoluta; cum vero tuemur eas necessario existere, de hypothetica necessitate sermocinamur. Non ergo contradicimur.

§. 263. *Objic. II.* Quamvis omne ens, quod aliter se habere potest sit contingens, non tamen inferri potest, omnium contingentium seriem fore contingens; Ergo etc.

§. 264. R. neg. sequelam maj., et consm. Ex quo ens quodlibet sit contingens, optime deducitur, totam seriem contingentium fore quoque contingens. Ex quibus namque entibus series illa componitur? Ex contingentibus utique; ergo contingentium est aggregatum; hinc contingens. Quid! conflari potest ex contingentibus ens necessarium? Apage deliria. Attributa enim entis necessarii nequeunt contingentibus convenire; neque contingentia esse possunt attributa entis necessarii (§. 247.) Quaecumque igitur contingentium series fingatur, semper contingens erit (§. 253.); adeoque alio ad existendum indigebit; et consequenter entis necessarii existentiam, non solum non tollet, sed invictissime arguet, atque probabit.

§. 265. *Contra*. Atqui ex quo singula contingentia possint esse, et non esse, seorsim accepta, inferri nequit totam contingentium seriem esse contingens; Ergo n. r. Prob. subsm. A sensu distibutivo ad collectivum arguere est pura putidissima fallacia; hinc fallaciter argumentaretur, qui sic diceret: *haec aquae gutta est exigua, illa etiam exigua, et alia similiter; ergo omnes guttae simul sumtae sunt exiguae*; Atqui cum vos, ex quo entia seorsim sumpta sint contingentia, infertis totam quoque entium seriem fore contingens, a distributivo ad collectivum arguitis; igitur fallaciter arguitis; adeoque etc.

§. 266. R. dist. maj. A sensu distributivo etc., quando sermo est de attributis accidentalibus, conc., de essentialibus, n. maj., et dist. min.; Atqui etc., et hic agitur de attributis essentialibus, conc., secus, n. min.; Ergo etc., n. consm. Nemo ignorat, essentialia attributa, quae de aliquo ente in aliquo genere enunciantur, enunciari quoque posse, et debere de reliquis omnibus in eodem genere contentis. Sic quia hominis essentialia sunt animalitas, et rationalitas, recte a distributivo ad collectivum argumentabis, ita dicens; Hic homo est rationalis, ille homo est rationalis etc.; Ergo omnes homines simul sumti sunt rationales. At si quis ex attributis accidentalibus a distributivo ad collectivum argumentaretur, fallaciae utique accusandus foret. Cum namque attributa accidentalia a subjectis abesse possint, salva ipsorum essentia, quae de aliquibus affirmantur, de omnibus affirmari non possunt; Sic quia in entibus contingentibus doctrina, Ex. gr., est accidentalis, ex quo Petrus, Paulus etc. sint docti, non recte infertur omnes homines esse doctos. Cum vero contingentia sit entibus contingentibus essentialis, recte, si quodlibet ens divisim est contingens, infertur omne ens contingens esse, adeoque et totam ipsam contingentium seriem, juxta principium illud: *quidquid de singulis partibus essentialiter praedicatur, id de toto quoque praedicari debet.*

§. 267. *Contra.* Atqui etiam in attributis essentialibus vitiosa est argumentatio a distributivo ad collectivum; Ergo n. r. Prob. subsm. Si quis ita argumentaretur: *quaelibet creatura possibilis est essentialiter producibilis; Ergo et tota creaturarum collectio talis erit,* male argumentaretur; Ergo a pari, cum quis dicit: quodlibet ens est contingens; Ergo talis erit tota contingentium collectio, male argumentatur; adeoque etc.

§. 268. R. conc. antec., neg. consm., et paritatem. Producibilitas enim eodem modo competit collectioni, sicuti competit ejus partibus; cum autem collectionis partibus competat tantum distributive sumtis, idcirco distributive solum tota creaturarum collectio est essentialiter producibilis; unde haec argumentatio: quaelibet creatura possibilis est essentialiter producibilis, distri-

butive tamen; ergo et tota creaturarum collectio, distributive tamen, erit producibilis, recte concludit. Verum contingentia eodem modo quo praedicatur de entibus divisim, ita etiam de omnibus simul sumtis. Sicut namque quodlibet ens contingens nequit ex se subsistere, ita neque tota entium series; ergo sicut illa, etiam et ista existentiae rationem sufficientem in alio non contingente continere debent; statim namque ac aliquid est ens contingens, nequit in seipso rationem sufficientem habere (a).

CAPUT IV.

De ente simplici, atque composito.

§. 269. *Def. Ens simplex dicitur illud, quod partibus non constat, in quibus solvi possit.* Contra vero *ens compositum est illud quod partes habet.*

§. 270. *Coroll. 1.* Ens itaque compositum in partes solvi potest, non ita ens simplex, quia illud partibus constant, non vero istud. Unde

§. 271. *Coroll.* 2. Ens compositum est divisibile, non autem ens simplex.

§. 272. *Animad.* Si ens compositum habet partes, quarum una extra aliam existit, dicitur *extensum*, et proprie *continuum*; si inter suas partes aliam non admittit; quod si alia inter suas partes locum habere poterit, dicitur *interruptum*,

§. 273. *Schol.* Ens simplex in *metaphysicum* et *physicum* solet a Philosophis non paucis dispesci, et per illud quidem intelligunt ens, quod omnino partibus caret, quodque proinde nec sensibus percipi, nec locum occupare potest; per istud vero ens, intelligunt tenuissimam, inertem, atque impenetrabilem materiae

---

(a) Vid. P. Tamagna Ontol. Sect. 1. Art. 11. Antonius de Martiis Ontol; Cap. VI. Storchenau Cosm. Sect. I. Cap. 11. §.18.

particulam ; quae licet sit composita, in partes tamen, humana opera, atque instrumentis resolvi nequit. Physicum itaque simplex hic non inspicimus ; Quia cum sit in se revera compositum, ut ens compositum illud consideramus.

§. 274. *Coroll.* 1. Enti ergo metaphysice simplici, ens compositum contradictorie opponitur ; adeoque quidquid de ente composito dicitur, contraria ratione de ente simplici dici debet. Hinc

§. 276. *Coroll.* 4. Inter ens simplex, et compositum non datur medium ; sed quodlibet ens vel simplex est, vel compositum.

THEOREMA I.

Ex diversa partium combinatione entis compositi diversitas pendet.

§. 276. *Demon.* Nam in ente composito nonnisi partes unitae conspiciuntur. Si ergo unum ens corporeum ab alio differt, vel est diversum, non aliunde id evenire potest, quam vel a diversitate partium, vel a similium partium dissimili nexu, vel tandem a diversarum partium connexione ; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 277. *Coroll.* 1. Entis igitur compositi essentia in partium unione, et nexu consistit ; per id enim fit, ut ens compositum in data entium classe constituatur neque sit unum, et idem cum altero (§. 276.). Proinde

§. 278. *Coroll.* 2. Entis compositi essentia in puris accidentalibus consistit, quia compositi essentialia aliter se habere possunt, ac sunt, pro diversa partium combinatione, additione, mutatione, subfractione ; et ideo mutabilis est (§. 237.).

THEOREMA II.

Ens compositum, seu materiale est ens contingens.

§. 279. *Demon.* Ens compositum aliter se habere potest ac est (§. 278.); Ergo est mutabile (§. 237.); sed ens mutabile est contingens (§. 239.); Ergo ens compositum etc. Q. E. D.

§. 280. *Coroll.* Ens ergo compositum rationem sufficientem suae existentiae in alio habet (§. 242.); in ente nempe necessario (§. 251.); ab eoque dependet ut existat (§. 252.).

THEOREMA III.

Entis compositi attributa nequeunt convenire enti necessario.

§. 281. *Demonst.* Nam entis compositi attributa, sunt attributa entis contingentis (§. 279.); Sed attributa entis contingentis nequeunt esse attributa entis necessarii (§. 247.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Ens necessarium simplicissimum esse debet.

§. 282. *Demon.* Nam ens necessarium est a se, (§. 242.), et immutabile (§. 240.); Ens vero compositum est contingens (§. 279.); adeoque mutabile;

et in ente necessario rationem habet sufficientem suae existentiae (§. 280.); Ergo ens necessarium nequit esse ens compositum ; nam hoc in casu idem simul esset, et non esset, quod est absurdum ; Esset nempe ens necessarium, ut supponitur, et esset contingens, quia compositum ; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 283. *Coroll.* Enti ergo necessario, omnino repugnat extensio ; haec enim est entis compositi praecipuum attributum, et partes supponit (§. 272.). Merito itaque insaniisse putandum est Benedictum Spinoza, qui inter alia errorum monstra, hoc docuit, Deum, Ens nempe necessarium, inter alia attributa, extensionem habere.

CAPUT V.

De ente finito, atque infinito.

§. 284. *Def. 1. Ens finitum dicitur illud, quod limitibus coarctatur.* Limitis vero nomine *defectum ulterioris relitatis* intelligimus. *Ens* contra *infinitum est illud, quod nullis limitibus continetur.*

§. 285. *Coroll.* Finitum ergo, et infinitum contradictorie opponuntur ; adeoque quae de ente infinito praedicantur, de finito enunciari nequeunt, et e contra

§. 286. *Schol.* Duplex distingui solet infinitum *absolutum* nempe, et *secundum quid*, sive *relativum.*, Primum dicitur illud, quod nullos omnino limites habet ; estque propterea undequaque, tam scilicet *intensive*, quam *extensive* infinitum. Secundum vero dicitur illud, quod aliqua tantum ratione est infinitum. Absolute infinitum est Deus ; relative autem animae humanae duratio,

§. 287. *Animad.* Ab infinito sedulo est distinguendum, quod indefinitum appellamus. Illud siquipem indefinitum dicimus, quod licet in se revera li-

mites habeat, limites tamen ei mens nostra praefigere nequit; ita est censenda extensio mundana.

§. 288. *Coroll. 1.* Enti ergo infinito actu omnes insunt realitates; nec vel una quidem ei potest deficere, alias esset finitum, quod repugnat. Quare

§. 289. *Coroll.* 2. Nec augeri potest, nec minui, aut perfectius fieri; nihilque eo melius excogitari, aut fingi potest. Contra vero.

§. 290. *Coroll. 3.* Ens finitum nec omnes habet realitates, et quas habet, gradibus limitatas habet; Unde potest vel novas acquirere, vel quas habet amittere; proinde aliquid semper eo melius excogitari potest.

THEOREMA I.

Ens infinitum est prorsus immutabile.

§. 291. *Demon.* Nam si ens infinitum non foret immutabile, vel in melius, vel in deterius mutari posset; Atqui non in melius mutari potest, quia nihil eo melius excogitari potest (§. 189.); non in deterius, quia tunc non esset amplius infinitum ob defectum realitatum; Ergo etc. Q. E. D.

§. 292. *Coroll.* Ens ergo finitum est mutabile, potest namque augeri, vel minui etc. (§. 190.).

THEOREMA II.

Ens infinitum simplicissimum esse debet.

§. 293. *Demon.* Nam ens compositum partibus constat, quae augeri possunt, atque minui; Adeoque est mutabile (§. 279.); Atqui ens infinitum est prorsus immutabile (§. 291.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA III.

Ens infinitum est ens necessarium, et a se.

§. 294. *Demon.* Nam ens infinitum est immutabile (§. 291.); Atqui ens immutabile est necessarium (§. 240.), et a se (§. 242.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 295. *Coroll.* 1. Ens itaque finitum est contingens, et ab alio; est namque mutabile (§. 292.) Quare

§. 296. *Coroll.* 2. Pessime se gessit Democritus, dum planum, et vacuum totius Universi partes entia infinita esse dixit; nisi infinitum pro indefinito (§. 287.), usurpaverit. Entia namque composita, utpote mutabilia et contingentia, finita prorsus esse debent, atque limitata.

THEOREMA IV.

Ens infinitum actu existere debet, et quidem necessitate suae naturae.

§. 297. *Demon.* Nam infinitum est necessarium, et a se (§. 294.); Sed ens necessarium, et a se actu (§. 249.), et necessitate suae naturae existit (§. 242.); Ergo etc. Deinde ens infinitum est immutabile (§. 291.); Atqui si actu non existeret, non foret amplius immutabile; Ergo etc. Prob. min. Quod a statu possibilitatis ad existentiam transit, mutatur; Atqui si ens infinitum actu non existeret, a statu possibilitatis ad existentiam transire deberet; Ergo mutaretur; Adeoque etc. Ulterius si ens infinitum actu non existeret, non esset ens infinitum, nam deficerent ei potiores realitates, inter qnas

est existentia ; Ergo etc. Tandem si ens infinitum actu non existeret ; foret tantum possibile ; vel ergo a seipso habebit existentiam, quam actu non habet, vel ab alio ; Atqui a seipso habere non poterit, quia uti tantum possibile, erit purum nihil (§. 169.) ; adeoque impotens ad operandum, et a fortiori ad existentiam sibimetipsi tribuendam ; Ergo habebit ad alio ; adeoerit contingens (§. 242). Sed infinitum est ens necessarium, et a se (§. 244.) ; Ergo etc. Q. E. D.

§. 298. *Coroll.* 1. Ens ergo infinitum non solum necessariam habet essentiam, sed et existentiam quoque ; est namque ens necessarium existentiae, quod nequit non existere ; Adeoque

§. 299. *Coroll.* 2. Ens infinitum concipi nequit ut pure possibile. In ente namque necessario (§. 243.), quale est ens infinitum, essentia et existentia sunt unum et idem ; statim ergo ac ens infinitum concipitur possibile, concipi etiam debet existens.

THEOREMA V.

Repugnat omnino dari duo, vel plura entia absolute infinita.

§. *300.* *Demon.* Nam ens infinitum omnes complectitur realitates, absque ullo limite (§. 288.). Quare ita exhausit possibilia omnia, ut nihil praeter illas realites existere possit. Quaecumque propterea realitates in alio ente inveniri possunt, ab illo debent derivare ; adeoque uno dato infinito, alia sunt finita. Q. E. D.

SECTIO III.

De variis affectionibus Entis.

§. 301. *Def. Entis affectio est omne id, quod de ente enunciatur.*

§. 302. *Schol.* Entis affectiones aliae dicuntur *generales*, quae nempe enti, generatim inspecto, tribuuntur; aliae vero *relativae*, quae aliquibus tantum entibus conveniunt. Et quidem prioris generis affectiones, tres praecipue sunt; videlicet *1. unitas*; *2. veritas; 3. bonitas;* posterioris vero quatuor fere numerantur; videlicet 1. *Idemtitas; 2. distinctio*; *3. similitudo*; *4. aequalitas*; de quibus, distinctis capitibus, verba faciemus, non praetermittentes de Substantia, atque Accidente sermonem, nec non de vario entium ortu, atque interitu notitiam.

CAPUT I.

De generalibus entis affectionibus.

§. 303. *Def. 1. Unitas est complexus omnium illarum affectionum, quae unum constituunt.* Dicimus vero *unum*, quod est in se indivisum, et ab aliis separatum.

§. 304. *Animad.* Unitas de qua hic est sermo, dicitur a Philosophis unitas *metaphysica*, vel *trascendentalis*, vel *absoluta*.

§. 305. *Schol.* 1. Unum quandoque pro unico solet usurpari. Ita legitur in Epistola S. Pauli ad Ephesios (Cap. IV. v. 5.) *Unus Dominus*, *una Fides*, *unum Baptisma*; nempe unicus Dominus etc. Non semper tamen unum usurpari potest pro unico, sicut unicum semper est unum; quamvis namque Petrus, ex. gr., sit unus homo, non tamen est unicus, alios scilicet omnes excludens; nam praeter ipsum innumeri alii sunt homines.

§. 306. *Schol.* 2. Unum multiplex est, *indivisibile* nempe, seu *simplex*, et *divisibile*, seu *compositum*; item *per se*, et unum *per accidens*.

§. 307. *Def.* 3. *Unum divisibile* dicitur illud, quod in plures partes resolvi potest, ut homo, lapis etc. Unum vero indivisibile seu simplex est illud, quod in partes nequit dividi; ut *Deus*, *anima humana*.

§. 308. *Def* 5. *Unum per se* vocatur illud, quod ex pluribus conflatur partibus, quae ad ipsum constituendum sunt primario ordinatae, ut homo, ex. gr., qui anima, et corpore constat. Unum vero *per accidens*, seu, ut ajunt Scholastici, *unum per aggregationem* est illud, quod partibus constat inordinate, et confuse aggregatis, uti acervus tritici.

THEOREMA I.

Quodlibet ens est unum.

§. 309. *Demon.* Nam entis unitas est complexus attributorum, quae unum constituunt (§. 303.); ens, nempe indivisum in se, et ab aliis separatum; Atqui ens quodlibet suam habet essentiam, et attributa, quibus ab aliis separatur (§. 201.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 310. *Def.* 4. *Veritas entis*, *metaphysica* nempe, est convenientia rei cujuslibet cum sua essentia, vel cum ideis Dei archetypis (Log. §. 40.).

§. 311. *Coroll.* Omne igitur ens, quod propria gaudet essentia, dicitur ens *verum*.

§. 312. *Schol.* Metaphysica entis veritas alia dicitur *essentialis*, *accidentalis* alia. Prima habetur cum convenientia entis erit inter essentialia; secunda vero, quando cum essentialibus accidentales quoque affectiones conveniunt. Ita aurum, ex. gr., dicitur verum veritate essentiali, si omnibus gaudeat essentialibus auri proprietatibus; eritque etiam verum aurum veritate accidentali, si accidentales quoque auri proprietates habeat; videlicet, si auri essentiae et color, et pondus etiam correspondeat.

§. 313. *Animad.* Non raro audimus de falsis entibus loqui, veluti quod aurum sit falsum, vel argentum etc. Verum hoc improprie dicitur. Nam vel aurum (idem dic de aliis) omnes habet auri proprietates, et erit verum aurum, vel non habet, et tunc aurum non erit, sed aliud metallum.

THEOREMA II.

Quodlibet ens est verum.

§. 314. *Demon.* Nam entis cujuslibet veritas in convenientia illius cum sua essentia sita est (§. 310.). Sed quodlibet ens suam habet essentiam (§. 101.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 315. *Coroll.* Omnium itaque entium veritas metaphysica generalis affectio est.

§. 316. *Def. 5.* Quidquid propriae essentiae convenit, et fini, ad quem est ordinatum, *bonum*, vel *perfectum* appellatur; *Bonitas* itaque vel *perfectio est convenientia entis cum sua essentia, et fini ad quem est ordinatum.* Ita bonum, vel perfectum dicitur horologium si exacte horas indigitet; ad horas quippe indigitandas est destinatum.

§. 317. *Schol.* Bonitas vel perfectio vel *essentialis* est, vel *accidentalis*; item *vera*, vel *falsa*, et *apparens*.

§. *318*. *Def*. *6*. *Bonitas essentialis* est si consensus, vel tendentia ad finem invenitur inter entis, essentialia, et attributa, quae ab essentia pendent; Accidentalis vero, si etiam accidentia ad eumdem finem conspirent.

§. *319*. *Def*. *7*. *Bonitas dicitur vera*, si consensus, vel tendentia ad finem fuerit vera; falsa vero si fuerit falsa.

§. *320*. *Schol.* Bonum aliud est *per essentiam*, aliud *per participationem*; item aliud *absolutum*, *relativum* aliud

§. *321*. *Def*. *8*. *Bonum per essentiam* dicitur illud, cujus realitates in propria essentia suam habent rationem sufficientem; *Bonum* vero *per participationem*, quod in alio rationem agnoscit. Bonum per essentiam est solus Deus, creaturae vero ceterae bonum per participationem.

§. *322*. *Animad.* Confundendum hic non est bonum per essentiam cum bonitate essentiali; haec namque cum sit consensns entis cum sua essentia, ad quam ordinatum est (§. 318.), in creatis etiam rebus reperitur, illud vero cum rationem sufficientem suarum realitatum in propria habeat essentia, soli enti necessario competit (§. 241. et seq.).

§. *323*. *Def*. *9*. *Bonum absolutum* illud dicitur, quod semper, et in quocumque statu est tale; *relativum* vero, quod non semper, neque ubique bonum est, sed in comparatione ad aliud.

THEOREMA III.

Quodlibet Ens est bonum.

§. *324. Demon.* Nam in quodlibet ente reperitur consensus essentialium cum attributis; adest nempe id omne, quod requiritur ad illud in data entium classe constituendum; Atqui Deus, utpote sapientissimus, omnia entia ad finem suum tendentia eligere scivit; Ergo ens omne ad finem suum tendit; Adeoque etc. Q. E. D.

§. *325. Coroll. 1.* Nequit ergo dari ens, quod sit metaphysice malum; Adeoque.

§. *326. Coroll. 2.* Bonitas metaphysica est generalis entium affectio.

THEOREMA IV.

Solum ens necessarium est undequaque perfectum; in omni scilicet perfectionis genere perfectissimum.

§. 327. *Demon.* Nam solum ens necessarium est ens infinitum (§. 294.). Sed ens infinitum omnes possibiles perfectiones, seu relitates actu habet (§. 283.), atque unicum est (§. 300.); Ergo etc. Q. E. D.

CAPUT II.

De relativis affectionibus entis.

§. 328. *Def. 1. Eadem* vulgo *dici solent, quae sibi invicem substitui possunt; diversa* vero *dicuntur,*

quae sibi invicem substitui nequeunt. Ita, ex. gr., bis duo, et quatuor eadem dicuntur, quia bis duo si in locum quatuor substituantur, nihil mutatur; contra vero 2. + 3. e 4. sunt diversa, in iis enim nulla substitutio fieri potest. Eorum quae invicem substitui possunt vocabulum, abstractum est *idemtitas*, eorum vero quae invicem substitui nequeunt, abstractum vocabulum est *diversitas.*

§. 329. *Schol.* Quae sunt eadem tripliciter considerari possunt; ut nempe talia sunt *genere*, aut *specie*, aut *numero.*

§. 330. *Def.* 2. Eadem genere ea esse dicuntur, quae in determinationibus genus aliquod constituentibus invicem substitui possunt. Hoc pacto eadem dicuntur *homo*, et *brutum.*

§. 331. *Def.* 3. Eadem specie illa sunt, quae in determinationibus speciem componentibus invicem possunt substitui. Ita dicuntur Titius, ex. gr., et Cajus.

§. 332. *Def.* 4. *Eadem numero* illa dicuntur, quae in omnibus characteribus individuum aliquod praecise determinantibus, substitui possunt; Ita numero idem est, quodlibet individuum cum seipso.

§. 333. *Schol.* Quamvis ut exacte, et metaphysice idem numero ens dici possit, requiratur ut in nihilo mutatum sit, vulgo tamen eadem appellari solemus, quae non solum in aliquo, ed in plurimis sunt mutata. Ita eadem dicitur navis, cujus nihilominus tabulae omnes, successive, renovatae sint, ut nulla ex primis supersit, cujusmodi fuit navis Thesei, quae legitur apud Plutarchum in Theseo, nimirum, quia eadem manet navis forma. Idem appellatur Fluvius, licet aqua continuo defluat, ut jure negaret Heraclitus *in eumdem Fluvium bis quemquam descendere.* Similiter idem vulgo dicitur corpus humanum, quamvis ejus partes perpeti effluxione dispergantur, et in earum locum semper novae suceedant, ita ut intra octo, vel decem annos integrum corpus mutetur. Quapropter Seneca, magis philosophice loquens: *nemo nostrum*, ait (Epist. 88.), *idem est in senectute, qui fuit ju-*

venis. Nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur, fluminum more.

§. *334. Def. 5.* Diversa dicuntur *opposita* si una simul consistere nequeunt, uti lux, et tenebrae; dicuntur vero *disparata* si stare simul possunt, ut pietas, et eruditio in eodem homine.

§. *335. Def. 6.* Opposita dicuntur *contradictoria* si se mutuo destruant, uti lux, et tenebrae; ubi enim lux est, tenebrae exulant; *Contraria* vero dicuntur, si uno excluso, alterum quidem excluditur; attamen exclusio unius, alterius exclusionem non infert. Ita amor, et odium contraria sunt.

THEOREMA I.

Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

§. *336. Demon.* Nam si A, et B invicem cum C substitui possunt; ita ut A sit eadem cum C, cum qua eadem est B, profecto A, et B. sunt eadem inter se; Adeoque etc. Q. E. D.

§. *337. Animad.* Esto axioma istud per se clarissimum sit, et apud omnes vulgatissimum, observandum tamen illud est, sermonem esse de idemtitate ejusdem generis; ut quae sunt eadem uni tertio idemtitate reali (ea nempe, qua ens *idem* dicitur, quatenus est una, eademque *res*, etsi pluribus constans formalitatibus, seu proprietatibus), sint et inter se eadem reali idemtitate.

THEOREMA II.

Quae eamdem habent essentiam, eadem etiam habent attributa; quae diversam diversa.

§. *338. Demon.* Nam ab eadem essentia nonnisi eadem manare possunt attributa, ut a diversa nonnisi

diversa. Siquidem si ab eadem essentia possunt diversa emanare attributa, jam ea, quae emanant, non necessario emanarent ; adeoque non essent attributa (§. 199.), quod est absurdum. Idipsum sequeretur si eadem attributa ex diversis essentiis fluere possent ; nempe non necessario fluerent ex ea , ex qua fluunt , cum possint ex diversa. Igitur cum ex eadem essentia , nonnisi eadem attributa manare possint , ut a diversa essentia, nonnisi diversa attributa; quae eamdem habent essentiam, et iisdem praedita sunt attributis , quemadmodum diversa habeant attributa necesse est , quae diversis constant essentiis. Q. E. D.

§. 339. *Def.* 7. Ea distincta vocantur, quorum unum non est aliud , nec proinde sibi invicem possunt substitui.

§. 340. *Animad.* Distinctio confundenda non est cum diversitate ; nam licet omne diversum sit quoque distinctum , non autem contra ; hinc duo pondera aequalia , sunt quidem distincta , ast non diversa , quia eorum unum , salvo aequilibrio , in alterius locum substitui potest. Distinctio autem duplex est , *realis* nempe , et *rationis*.

§. *341. Def. 8. Distinctio realis* est illa ; quae versatur inter rem , et rem , quarum una non est alia , velut inter hominem et plantam , vel inter spiritum , et corpus.

§. *342. Def. 9. distinctio rationis* est illa , quae fit inter distinctos ejusdem rei conceptus a mente efformatos , quamvis res ipsa in se una sit , et eadem. Ejusdem autem rei distincti conceptus efformari mente possunt , per proprium ipsius figmentum , ut si mens eamdem rem a seipsa distinctam effingat , puta quadratum A ab eodem quadrato A distinctum. Et haec distinctio a Scholasticis vocatur *rationis ratiocinantis*, melius dixeris cum Claubergio , *rationis insanientis.*

§. *345. Schol.* Distinctio realis dividitur in *realem realissimam* , ut aiunt , sive *entitativam , modalem* , et *formalem* secundum Scotistas , vel *virtualem*, ut volunt Thomistae.

§. *344. Def. 10 Distinctio realis entitativa* intercedit inter rem, et rem, substantiam et substantiam; denique inter ea, quae distinctis rebus, aut substantiis inhaerent; ita distinguuntur aurum, et lac; illius flavedo, et hujus albedo. Atque haec distinctio, vel est *adaequata*, vel *inadaequata*.

§. *345. Def. 11. Distinctio realis adaequata*, inter ea versatur quae nullimode se continent; inadaequata vero inter ea, quae se mutuo aliquatenus continent. Ita inadaequate distinguuntur tres palmi alicujus ligni quadripalmaris a duobus ejusdem ligni palmis. Quippe tres illi palmi communicant cum duobus hisce in palmo.

§. *346. Def. 12. Modalis distinctio* invenitur inter rem, et modum ejusdem rei; vel inter duos ejusdem rei modos ad invicem dependentes; ut inter corpus aliquod, ejusque figuram, vel inter ipsius figuram, et colorem.

§. *347. Def. 13. Distinctio actualis formalis ex natura rei*, a Preceptore Substili inventa, et acriter a suis Asseclis in Scholis defensa adversus Thomistas, virtualis distinctionis assertores, est illa, quae invenitur inter varias ejusdem rei formalitates, seu attributa, aut essentilia; cujusmodi est inter animalitatem, et rationalitatem (*a*).

§. *348. Def. 14. Similitudo est qualitatum identitas.*

§. *349. Coroll. 1.* Ea itaque dicuntur *similia*, quae easdem habent qualitates; contra vero *dissimilia*, quae diversas. Sic duo triangula dicuntur similia; ambo enim habent tria latera, et tres angulos; triangulum vero, et quadratum dicuntur dissimilia.

§. *350. Coroll. 2.* Similia ergo, salva similitudine, possunt sola quantitate inter se differre.

(a) Pro hac formali distinctione videantur, si placet P. Joseph Antonius Ferrari Ontol: Disp. 1. Q. IV. P. Carolus Josephus a S. Floriano Ontol. Sect. IV. Art. II. P. Antonius Cavensis Ontol. Cap. II.

§. 351. *Def. Æqualitas, est quantitatum identitas*; harum vero diversitas, *inaequalitas* vocatur.

§. 352. *Coroll.* 2. Ea itaque aequalia dicuntur, quae eamdem habent quantitatem; contra vero inaequalia, quae diversam. Hinc 2 ⁜ 2, et 4., dicuntur aequalia; 2 ⁜ 3., et 7. dicuntur inaequalia; illa namque eamdem habent partium multitudinem, haec diversam. Hinc Æqualia, salva quantitate, possunt esse dissimilia.

THEOREMA III.

Quae eidem sunt similia, vel aequalia, inter se pariter sunt similia, et aequalia; et e contra.

§. 353. *Demon.* Nam si A est similis B, et B est similis C, etiam A erit similis ipsi C. Et si A similis est, vel aequalis B., B vero est dissimilis, aut inaequalis C, etiam A erit dissimilis aut inaequalis C. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Eadem, et similia longe differunt.

§. 354. *Demon.* Nam eadem dicuntur, quae invicem substitui possunt (§. 328.), neque in ullo differunt. Atqui similia possunt quantitate differre (§. 252.) salva similitudine; Ergo etc. Q. E. D.

TEHOREMA V.

Non repugnant duo, vel plura entia perfecte similia.

§. 355. *Demon.* Nam similitudo est identitas qualitatum (§. 345.); summa itaque istarum qualitatum

similium, unum constituit, adeout existat. Et consequenter est possibile (§. 194.); Atqui quod semel est possibile, semper ut tale haberi debet (§. 174.); alioquin idem simul esset, et non esset; Igitur nihil prohibet quominus eadem qualitatum similium summa, quae est in uno ente, in altero inveniatur; Adeoque etc. Q. E. D. (*a*).

CAPUT. III.

De Substantia, et Accidente. Ubi de Supposito et Persona.

§. *356. Def. 1. Substantia est subjectum illud, de quo aliquid enunciari quoquomodo potest, quodque affectiones illas veluti substinens, ipsum de alio enunciari nequit.* Brevius, *Substantia est ens per se existens, quod subjecto non indiget, cui inhaereat ut existat.*

§. *357. Def.* 2. Per subjectum hic intelligimus, id quod aliud a se distinctum recipit, substentat, atque est ejus veluti fulcrum. Ita *lac*, ex. g., est subjectum albedinis; corpus est subjectum animae rationalis; Tellus est subjectum rerum omnium, quae in ea continentur. Et quidem lac dicitur subjectum *inhaesionis*, respectu candoris, corpus humanum subjectum *informationis*, respectu animae rationalis; Tellus vero subjectum *adhaesionis*.

§. *358. Schol.* Substantia multiplex est; nempe *creata*, et *increata*; *corporea*, et *incorporea*. Et incorporea quidem alia dicitur *simplex*, alia *spiritualis*; atque haec rursus, alia est *perfectissima*, alia *imperfe-*

---

(1) Vide De *Principio indiscernibilium* quae dixerint P. Tamagna Ontol. Sect. III. Art. II. Odoardus del Giudice Ontol. Cap. XI. P. Carolus Josephus a S. Floriano Lib. II. Ontol. Art. III.

eta; et *dependens*, quae etiam, vel est *completa*, vel *incompleta*. Tandem substantia corporea, vel est *animata*, vel *inanimata*.

§. 359. Def. 3. Substantia creata est illa, quae non semper extitit, et ab alio initium habuit. Contra vero increata illa est, quae a se existit, nullumque sui esse initium habet. Ita Ens necessarium est substantia increata; a se enim existit (§. 242.); Ens vero contingens est substantia creata, quia est ab alio (§. eod.).

§. 360. Def. 4. Substantia corporea, et materialis est illa, quae partibus constat; estque propterea extensione, impenetrabilitate, atque inertia praedita. *Incorporea* vero *substantia* est illa, quae nullas partes habet, nec ullas materiae proprietates; quare nihil extensi est in ea, nec quidquam vel minimum corporearum affectionum in ea excogitari potest;

§. 361. Def. 5. Substantia incorporea simplex est illa, quae partium est expers, verum ratione caret; talem, non pauci, dicunt esse animam brutorum; *Substantia* vero *incorporea spiritualis* est illa; quae intellectu, et voluntate est praedita.

§. 362. Def. 6. Substantia spiritualis perfectissima est illa, quae omnes complectitur perfectiones absque ullo limite; cujusmodi est solus Deus. *Spiritualis* vero *substantia imperfecta* est illa, quae non habet omnes perfectiones, et eas quoque, quas habet, gradibus limitatas habet; tales sunt omnes alii spiritus creati.

§. 363. *Def. 7. Substantia spiritualis incompleta* est illa, quae ad aliud compositum constituendum est destinata, uti anima humana, quae ad corpus informandum, et ad constituendum cum eo unum compositum, nempe hominem, est destinata: *Completa* vero, si secus; uti *Angelus*, quia ad tertium constituendum non ordinatur.

§. 364. *Def. 8. Substantia corporea animata* dicitur illa, quae motu interiore cietur; inanimata vero quae anima caret.

§. 365. *Def. 9. Substantia individualis*, sive omnimode determinata, dicitur *prima*, et *incommunica-*

bilis; illa vero quae aliquo modo est determinata, *vocatur secunda*, vel *universalis*, et *communicabilis*.

§. 366. *Def.* 10. Substantia prima, incommunicabilis, completa, et sui juris, appellatur *Suppositum*. Quare

§. 367. Coroll. 1. Ad Suppositum constituendum quatuor requiruntur; 1. nempe ut sit substantia; 2. substantia singularis, et individua (§. 365.); 3. ut sit ultimo completa (§. 363.); et 4. ut sit sui juris; ut nempe non solum existat per se, sed in se, sitque sibi, suarumque operationum principium totale, et integrum. Unde.

§. 368. *Coroll.* 2. Accidens nequit esse Suppositum.

§. 369. *Coroll.* 3. Anima humana non est Suppositum; esto namque sit singularis, non est tamen ultimo completa (§. 363.). Natura tamen Divina in Patre est Suppositum, licet sit communicabilis Filio; quippe non communicatur alteri Naturae, sed alteri Supposito.

§. 370. *Coroll.* 4. Natura humana Christi non est Suppositum: Esto namque sit substantia singularis completa, quatenus non natura sua ordinata est ad Verbum; tamen existit quidem per se, at non in se, sed in Verbo; neque est Principium totale, et integrum suarum operationum; dependet namque a Verbo in operationibus suis, estque velut instrumentum Verbi Divini; quidquid scilicet agit in Christo natura humana, agit et Divinitas; quare Christi operationes dicuntur *theandricae*, seu *Divino humanae*.

§. 371. *Def.* 11. Ratio per quam ens constituitur Suppositum, *suppositalitas*, vel *subsistentia* appellatur.

§. 372. *Schol.* Supposita alia sunt *rationalia*, alia *irrationalia*. Haec retinent nomen genericum Suppositi, illa vero etiam *Personae* dicuntur. Hinc recte dicimus Supposita Divina, et humana, et Personas Divinas, et humanas; non recte autem diceremus personas equinas; sed tantum supposita equina dicere possumus.

§. 373. *Animad.* Persona etiam *hypostasis* appellatur. Unde unione naturae humanae cum Divina in

una Verbi Persona, hypostaticam vocant Theologi. Quamquam Graeci Patres non pauci, *hypostasim*, non pro persona accipiebant, sed pro subsistentia et natura. Quod est summopere advertendum, ne si aliquando legerimus, eos tres hypostases in Deo admittere noluisse, decipiamur, credentes illos Trinitatem personarum negasse. Verebantur namque, tres hypostases in Deo asserere, ne Trinitatem naturarum, et substantiarum videretur admit ere.

§. 374. *Def.* 12. *Persona*, seu *hypostasis* definiri potest: *Suppositum ratione praeditum* (§. 372.); seu etiam; *Natura singularis rationalis, ultimo completa, sui juris* (367.). Id autem, quod aliquid constituitur persona, *personalitas* appellatur.

§. 375. *Schol.* Vulgatum est adagium: *actiones, esse suppositorum*. Id autem explicatione indiget. Non enim actiones sunt elicitivae, ut ajunt, a suppositis, seu eliciuntur ab ipsis, sed a natura; natura quippe, quavis adhuc subsistentia spoliata, principium activum concipi debet; subsistentia siquidem non efficit, ut natura sit principium operandi, sed tantum, ut sit principium integrum operationum suarum independenter ab alio. Et quidem natura humana in Christo, licet propria subsistentia orbata, sed subsistens subsistentia Verbi, habet tamen operationes suas, quae non a Verbo eliciuntur, sed a natura ipsa, licet dependenter a Verbo; alioquin nullam in eas partem haberet natura humana; neque proinde eae dici possent divino-humanae, sed tantum divinae dici deberent. Itaque axioma illud: *Actiones sunt suppositorum*, ita est intelligendum, ut quae actiones sunt *elicitivae* a natura, *denominative* tantum sint suppositorum. Cujus rei ratio est, quod ut ait Scotus (in IV, disp. XII. q. 3.), natura significatur per modum partis, suppositum per modum totius; quidquid autem est partis, toti tribuitur. Sic quamvis mens humana sit adaequatum intelligendi principium, neque ullo modo corpus ad intelligendum conferat; tamen non mens, sed homo, cujus illa est pars, intelligens denominatur.

Si ergo actiones non a supposito eliciuntur, sed a natura, satis apparet, actiones non ex supposito, sed

ex natura, a qua eliciuntur aestimandas esse. Ex. gr. in aestimando valore actionum, quae a natura humana Christi eliciuntur, ratio haberi non debet suppositi Divini, sed solius naturae humanae, cum suppositum Divinum, seu Verbum mere extrinsece se habeat ad actiones illas. Quare actiones eaedem haberi non debent valoris absolute infiniti, quia suppositum est infinitum, sed finiti, cum natura humana, a qua illae proficiscuntur, sit absolute finita; vel si infiniti valoris dicantur, dici debent voloris infiniti tantum extrinsece, et denominative, quatenus suppositum, Divinum, quod est infinitum, tantum extrinsece illas denominet. Sed haec innuisse sit satis. Ceterum quanti sint praetii ea, quae de Supposito, et Persona breviter dicta sunt, in Theologia patebit.

§. 376. *Def. 13. Accidens dicitur quidquid alio indiget, cui inhaereat, ut existat.* Inhaerere autem alicui tamquam subjecto, dicitur quidquid in alio ente revera, et actu inest, ejus tamen pars, aut essentiale non est. Unde et potest ab eo abesse. Modus tamen, quo accidentia substantiae veluti inhaerent, ut sine ea concipi nequeant, aut ab ea seiungi *modificatio* appellatur

§. 377. *Schol.* Accidens in *physicum*, et *logicum* dividitur; et physicum insuper nonnulli in *absolutum*, et *relativum* dispescunt.

§. 378. *Def. 14. Accidens physicum* dicitur illud, quod in existendo essentialiter pendet a subjecto; ut rotunditas spherae ligneae; *Accidens* vero *logicum* est illud omne, quod advenit rei, jam in suo esse perfecte constitutae, ab ea proinde separabile, quin res ipsa pereat, aut in essentia, et proprietatibus sibi debitis detrimentum patiatur. Hinc

§. 379. *Coroll. 1.* Accidens logicum dici etiam potest substantia, modo alteri adveniat jam perfecte constitutae, eamque afficiat. Ita mens humana, quae recipitur in corpore, in esse corporis jam perfecto, et completo, *ipsius accidens logicum* dici optime potest,

§. 380. *Coroll. 2.* Physicum accidens nullimode substantia dici potest. Nam ita substantiae opponitur, ut nullum inter ea dari queat medium, et repugnat

omnino, ut idipsum, et substantia sit, et physicum accidens; quippe existere cum essentiali dependentia a subjecto, quod est accidentis physici (§. 374.), et existere sine tali dependentia, quod est substantiae (§. 355.), contradictorie opponuntur, neque medium admittunt.

§. 381. *Def. 16. Physica accidentia absoluta* dicuntur illa, secundum Scholasticos, quae a subjecto quidem pendent essentialiter, eique inhaerent, at non ita ut intrinsecus repugnet, ea sine subjecto existere, Physica vero *relativa*, sive *modalia* vocantur ea, quae sine subjecto, cui inhaerent, nec existere, nec intelligi valent. Verum haec divisio, quae nulla ceteroquin ratione fulcitur, et tantum in iis, quae fides docet circa venerabile Altaris Saeramentum leve habet fundamentum, inanis existimatur a recensioribus Philosophis, qui nullum absolutum accidens agnoscunt, sed omnia accidentia arbitrantur esse puras, putasque modificationes. Quare sit.

THEOREMA I.

Repugnat dari accidentia absoluta.

§. 382. *Demon.* Nam accidentia isthaec absoluta, cum sint a suis subjectis absolute separabilia (§. 381), eamdem essentiam cum suis respective subjectis habere utique non possunt, idem namque a seipso separari non potest; Ergo habent essentias distinctas ab essentiis subjectorum, adeoque et distinctas existentias; quae autem distinctis existentiis praedita sunt, non ab invicem pendent, ut existant; unumquodque scilicet per suam existentiam, et per seipsum existit, et existere imo necessario debet sine ulla ab altero dependentia; quemadmodum siquidem fieri non potest, ut unum sit id quod essentialiter est, per essentiam alterius realiter distincti, seu ut in suo esse essentiali pendeat ab

alio, realiter distincto, ita fieri eadem ratione non potest, ut unum existat per essentiam alterius realiter distincti, seu esse existentiali ab alio realiter distincto dependeat; Ergo accidentia absoluta; si ulla sunt, a subjectis, ut existant, nequaquam dependent; adeoque non sunt accidentia (§. 376.), quod est repugnans; Adeoque etc. Q. E. D.

THEOREMA II.

Accidentia nequeunt esse entis necessarii attributa.

§. 383. *Demon.* Nam accidentia ita in subjecto existunt, ut possint in eo non esse (§. 376.); hinc mutari, atque aliter se habere possunt; Sed in ente necessario nihil mutabile concipi potest (§. 240.); Igitur etc. Q. E. D.

CAPUT IV.

De entium ortu, duratione, et interitu.

§. 384. *Def.* 1. Cum res existere incipit, dicitur *oriri*; cum vero desinit, *interire*. *Ortus* ergo *est existentiae initium; interitus* vero *existentiae finis*.

§. 385. *Def.* 2. *Duratio est entis ejusdem coexistentia pluribus successivis.* Successiva illa dicuntur, quorum unum desinit, et alter incipit. Sic duodecim, ex. gr. horae diei dicuntur successivae, quia una aliam consequitur. Hinc pluviam durare dicimus, si pluribus sibi invicem succedentibus horis, perseverat. Duratio duplex est, *absoluta et respectiva*.

§. 386. *Def.* 3. *Duratio absoluta* est continuata rei existentia, quae nulla relatione ad res alias defini-

tur. *Respectiva* vero est illa, quae ex relatione ad res alias metitur, ut ad Solis, vel Lunae cursum.

§. 387. *Schol.* Sive res oriatur, sive intereat, spatium, et tempus requirit. Etenim nulla res oriri, aut interire concipi potest, nisi alicubi, et aliquando oriatur, aut intereat.

§. 388. *Def. 4. Spatii nomine nihil aliud hic intelligitur, quam capacitas quaedam, in qua recipiatur, quidquid extensi praesertim existere incipit*; et duplex est, *absolutum* nempe, et *relativum*.

§. 389. *Def. 5. Spatium absolutum* est illud, quod sua natura consideratur tale, absque ulla ad aliud relatione, *Spatium* vero *relativum* dicuntur quaedam mensurae, sive dimensiones spatii absoluti, quas sensus nostri concipiunt, secundum diversas positiones corporum inter se.

§. 390. *Def. 6. Tempus est idea abstracta durationis, quae tamen initio, et fine terminatur;* habetque proinde prioris, et posterioris, praeteriti, atque futuri successionem. Atque hinc enata temporis divisio in *praeteritum*, *praesens*, et *futurum*.

§. 391. *Def. 7. Praeteritum* dicitur, quod fuit existens, sed postea succedentibus aliis, in statum rediit purae possibilitatis.

§. 392. *Def. 8. Praesens* dicitur, quod olim erat possibile, sed nunc revera existit.

§. 393. *Def. 9. Futurum* vero dicitur, quod nec fuit, nec est, sed tantum erit.

§. 394. *Coroll.* In tempore igitur nonnisi entium successio consideratur.

§. 395. *Def. 10.* Quod successionem non habet, nec tempus admittit, dicitur *instans*. Quod vero nec initium habet, nec finem, dicitur *aeternum*, cuius abstractum dicitur *aeternitas*; quae duplex distinguitur, a *parte ante* scilicet, ut aiunt, et a *parte post.*

§. *396. Def. 11. Æternitas a parte ante*, proprio nomine *sempiternitas*, *est instans initio carens, et fine*; seu, ut scribit Boetius (Lib. VI. de consolat. Prosa VI.), *est interminabilis vita tota simul, et perfecta possessio; Æternitas* vero *a parte post, est entis creat*

ratio absque fine, qualis est duratio animarum nostrarum

§. 397. *Coroll.* Æternitas itaque a parte ante, nullam physicam successionem admittit; est namque *tota simul, et interminabilis vitae plenitudinem tota pariter comprehendit, ac possidet, cui nec futuri quidquid absit, nec praeteriti fluxerit.* (Idem Boetius ut supra).

§. 398. *Schol.* Quidquid oritur, aut interit, vel ita oritur, ut nihil ejus antea extiterit, et ita interit, quod nihil ejus supersit; vel oritur ita, ut aliquid ejus praextiterit, et ita interit, ut aliquid ejus remaneat. Quod priori modo oritur, *ex nihilo* oriri dicitur; *in nihilum vero abire*, vel *annihilari*, quod ita interit. Quod autem posteriori modo oritur *generari*; *corrumpi* vero quod interit. Itaque.

§. 399. *Def. 12. Creatio est eductio rei ex nihilo sui, et subjecti.*

§. 400. *Coroll.* Creatio igitur nihil ad existentiam praeexistens supponit, neque materiam nempe, neque formam, sed meram possibilitatem ejus, quod creatur. Unde

§. 401. *Coroll. 2.* Res quae creatur, effectricem caussam supponit, et quidem talis virtutis, quae superare possit distantiam infinitam, quae adest inter nihil existentiae; et aliquid existens, scilicet, quae vim habeat infinitam. Quare

§. 402. *Coroll. 3.* Vis creandi caussis creatis, seu contingentibus repugnat; infinita enim vi destituuntur (§. 295), imo

§. 403. *Coroll. 4.* Nec etiam a Deo illam habere possunt per participationem. Nam cum creare, entis infiniti, adeoque necessarii (§. 402.) sit attributum, si creandi vis entibus contingentibus communicari posset, entis necessarii attributa, fierent attributa entis contingentis, quod repugnat (§. 247.).

§. 404. *Def. 13. Annihilatio est entis reductio in nihilum, tam formae, quam materiae*, scilicet sui, et subjecti.

§. 405. *Coroll. 1.* Ad annihilationem itaque vis etiam infinita requiritur; quippe distantia illa infinita superari debet, quae inter ens existens, et mere possibile reperitur. Propterea

§. 406. *Coroll.* 2. Solius entis infiniti est, sicuti creare (§. 401.), ita et annihilare.

§. 407. *Def. 14. Generatio est rei productio ex praeexistente subjecto.*

§. 408. *Coroll.* In hoc itaque generatio a creatione differre videtur, quod in illa fit transitus tantum a non esse formae ad esse formae, subjecto eodem remanente; in hac autem fit transitus a non esse tam formae, quam materiae, ad esse tum formae, cum materiae.

§. 409. *Def. 15. Corruptio est formae subjecti annihilatio, subjecto interim permanente.*

§. 410. *Coroll.* Corruptio itaque nonnisi in ente composito locum habet, nonnisi namque in ente composito partes invenire licet, quae diversam modificationem, ac dispositionem acquirere possunt, et priorem formam amittere, novamque induere. Siquidem notum est, corruptionem per partium solutionem haberi.

THEOREMA I.

Ens necessarium est aeternum.

§. 411. *Demon.* Nam si ens necessarium non foret aeternum, aliquando non extitisset; vel ergo existentiam quam habet, a seipso, vel ab alio extra se habuisset; Atqui neutrum dici potest; non primum, quia cum non fuerit existens, operari non potuisset (§. 195.), non secundum, quia tunc essent ens contingens, quod repugnat (§. 242.); Ergo etc. Deinde si ens necessarium non foret aeternum, esset mutabile, a statu quippe possibilitatis ad statum existentiae, transiisset; Sed ens necessarium est immutabile (§. 249.); Ergo etc. Tandem, si ens necessarium non esset aeternum, ut existeret, debuisset creari; Atqui creari non potuit; Ergo etc. Prob. min. Ad aliquid creandum vis infinita requiritur (§. 401.), sed praeter ens necessarium, nullum aliud ens est infinitum (§. 300.); Ergo nullum

ens illud creare potuisset; adeoque non existeret ens necessarium? Atqui existit (§. 246.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA II.

Ens aliquod ab aeterno existit.

§. 412. *Demon.* Nam existit ens necessarium (§. 246.); Sed ens necessarium est aeternum (§. 411.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA III.

Enti tantum necessario vis inest aliquid creandi.

§. 413. *Demon.* Nam ad aliquid creandum vis infinita requiritur (§. 401.); Atqui ens tantum necessarium habet vim infinitam, quia est ens infinitum (§. 244.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Ens simplex oriri non potest, nisi per creationem; interiri non potest, nisi per annihilationem.

§. 414. *Demon.* Nam ens simplex partibus non constat, in quibus dividi possit (§. 269.); ergo non potest aliquid praeexistere ad ortum illius, neque superesse ad ejus interitum; adeoque oriri non potest, nisi per creationem, neque interire, nisi per annihilationem. Q. E. D.

THEOREMA V.

Entia composita, sive materialia nequeunt esse increata, et aeterna.

§. 415. *Demon.* Nam entia composita sunt contingentia (§. 279.), et mutabilia; Ergo caussa aliqua externa ad eorum ortum praeexistere debuit, quae ea a statum possibilitatis ad existentiam perduceret; Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA VI.

Entia composita si tota oriantur, ac tota intereant, per creationem oriantur, ac per annihilationem intereant, necesse est.

§. 416. *Demon.* Nam si entia composita tota oriuntur, ac tota intereunt, tota existere incipiunt, ac tota existere desinunt; cum ergo tota oriuntur, nihil ipsorum praeexistere potest, et cum tota intereunt, nihil ipsorum potest superesse; quapropter cum tota oriantur, ac tota intereant, per creationem oriuntur, et per annihilationem intereunt. Q. E. D.

Plura hic non prosequimur, ne tironi Philosopho, pro cujus utilitate, et commodo haec collegimus, taedio simus. Unde sit Ontologiae hujus nostrae.

FINIS.

METAPHYSICÆ PARS II.

IDEST

COSMOLOGIA

Cosmologiae etymon, et Definitio.

§. 1. Ea Metaphysicae pars, quam nunc suscipimus pertractandam *Cosmologia* nominatur, ex duobus graecis vocabulis, quibus constat *Cosmos*, *Mundus* latine, et *logos* idest *sermo*; ut proinde idem sit dicere *Cosmologia* ac *sermo*, vel *discursus de Mundo*.

§. *Animad*. Mundus dupliciter considerari potest, *metaphysice* nempe, sive *abstracte*, vel *in genere*, et *physice*, sive *concrete*, et in *particulari*; duplex propterea distinguitur Cosmologia, *Physica* nempe, et *Metaphysica*, et illa quidem partes omnes, quae Universum hunc aspectabilem componunt sive in genere, sive in specie complectitur, atque examinat; haec vero Mundi originem, perfectionem, atque alia quaedam generatim complectitur. Nos hic physicis Philosophis Cosmologia physica reservata, Cosmologiam metaphysicam, ea qua

possumus claritate simul, atque brevitate pertractabimus. Itaque.

§. 3. *Cosmologia metaphysica*, hic nobis, *est Scientia Mundi in genere*.

§. 4. *Coroll.* In hac ergo Cosmologia notiones tantum generales hujus Universi expendemus; quae nempe abstractione obtinentur.

Cosmologiae divisio.

§. 5. Quoniam in hac Cosmologia Mundum in abstracto, et in genere consideramus, recte ipsam duabus Sectionibus dabimus explicatam; In quarum prima Mundi originem; in secunda ejus perfectionem expendemus

SECTIO I.

De Mundi origine.

§. 6. *Mundus est systema, vel series entium finitorum, tam simultaneorum, quam successivorum, invicem connexorum.*

§. 7. *Schol.* Mundi haec definitio in constanti, uniformi, et quae non fallit experientia fundatur. Siquidem cuilibet, vel parum hanc rerum universitatem contemplanti, statim fiet manifestum, innumera esse entia, non solum composita, et materialia, sed simplicia etiam, atque immaterialia (§. 289.), quae Mundi hujus constitutionem ingrediuntur, quorum aliqua simul permanent, et coexistunt, veluti Sol, Luna, Stellae, Terra cum montibus, plantis, animalibus etc.,

Mare cum piscibus etc., alia sibi invicem succedunt. Ita generatio praeterit, generatio advenit; Hyemi succedit Ver; Veri succedit Æstas; Æstati Autumnus; Autumno iterum Hyems. Ex animalibus alia oriuntur, alia intereunt; ex plantis aliae enascuntur, virescunt, et fructus faciunt, aliae exsiccantur, igni traduntur, et in cineres abeunt, atque illarum loco aliae succedunt. Ex entibus immaterialibus, alia actu existunt, alia ex hoc Mundo abscedunt; alia de novo a Deo creantur. Jam vero haec entia tam simultanea, quam successiva esse finita, nemo sane mentis ignorare poterit; quippe ens infinitum nonnisi unum esse potest (§. 300. Ont.); neque minus perspicuum est, omnia entia Mundum componentia, esse inter se adeo connexa, et tam miro, atque stupendo ordine inter se disposita, concinneque aptata, et ad finem consequendum idonea, ut pulchritudine rapiant contemplantem. Unde David (Psal. 18.) *Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

§. 8. *Animad.* In Mundo omnia quidem entia sunt connexa, et ita, ut licet inter se se varia, et diversa, unum tamen Mundum constituunt; non omnia tamen entia sunt eodem modo inter se se connexa. Diverso namque modo connectuntur simultanea, ac connectuntur successiva. Simultanea connectuntur ratione spatii, et caussarum finalium; successiva ratione temporis, et caussarum efficientium.

§. 9. *Schol.* De Mundi origine tria possumus examini subjicere 1. Fuerit ne semper, an vero aliquando coeperit esse; inter haec namque medium non datur. 2. Quomodo ortum habuerit, et 3. Quando coeperit esse; Et haec quidem distinctis capitibus absolvemus.

CAPUT I.

De Mundi ortu, atque principio.

§. 10. *Animad.* Mundum esse ortum, est illum a statu possibilitatis, ad existentiae statum, ut nunc est, transiise (§. 384. Ont.); Mundum non habuisse ortum, nec principium, est, illum semper fuisse, aeternum propterea (§. 395. ibid.). Verum habuit ne Mundus initium, vel fuit aeternus? Super hoc istae circumferuntur.

Philosophorum sententiae.

§. 11. Et sane non solum ex Graecis non pauci, sed ex Latinis, inter quos Plinius ipse, et Manilius Mundo aeternitatem adjudicarunt. Hujus erroris inventor Xenophanes creditur. Hic namque Philosophus, Deum quemdam materialem, et spherica figura praeditum sibi effingebat; ex quo postea alii sibi persuasere, hunc Mundum esse Ens a se, aeternum, improductum, nec umquam periturum. Haec sententia, diu hac illac, sine ullo Auctoris nomine pervagavit; sed ope Benedicti Spinozae restituta, atque propagata fuit. Hunc eumdem errorem docuerunt, quotquot aeternam dixerunt materiam, motuque aeterno percitam, prae ceteris, inter antiquos, Lucretius (Lib. 1.), et inter Recensiores Auctor *Systematis naturae.* Nec defuerunt alii, qui hunc Mundum, quoad praesentem formam, factum quidem fuisse dicunt, sed ex atomis praeexistentibus, idque earum casuali quodam concursu; atque haec sententia propria est Epicuri, illorumque omnium, qui materiam Deo coeternam statuerunt.

§. 12. *Def. 1. Saltus est transitus de uno in aliud extremum, omissis mediis. Casus vero est effectus sine caussa efficiente.*

§. 13. *Coroll.* In Mundo itaque neque saltus datur, neque casus; nam uterque nexum tollit, sine quo Mundus non subsistit.

§. 14. *Schol.* Casum hic diverso sensu usurpamus, ac vulgo usurpari solet *casus*, *fortuna.* Vulgo enim *casus effectum* indicat, cujus caussa efficiens ignoratur, verum adesse cognoscitur. Hinc Tullius (Quaest. Accad. Lib. 2.): *Propter obscuritatem, ignorantiamque caussarum, fortuna efficit multa improvisa, et inopinata.*

§. 15. *Def.* 2. *Ordo est delectus, et dispositio rei, alicui fini destinata.*

§. 16. *Coroll.* 1. Ordo itaque intelligentiam, sapientiamque in caussa sui efficiente supponit (§. 100. Ont.); et tanto quidem nobilior, atque perfectior, quanto pulchrior, atque perfectior est ordo.

§. 17. *Coroll.* 2. Ordinis caussa nequit esse ens compositum; quippe sapientia, atque intelligentia destituitur, estque iners.

THEOREMA I.

Mundus hic, quem incolimus, est ens compositum.

§. 18. *Demon.* Nam hic Mundus variis entibus constat tam simultaneis, quam successivis, quae quidem entia sensibus obvia, partibus constant, sunt proinde extensa, solida, figurata etc. (§. 6.); Atqui ens hujusmodi est ens compositum; Ergo etc. Q. E. D.

§. 19. *Coroll.* 1. Mundus ergo est ens mutabile, (§. 237. Ont.); adeoque contingens (§. 232. ib.), et quod rationem sufficientem suae existentiae in alio habet a se diverso (§. 242. ibid.), in ente scilicet necessario (§. 231. ib.).

§. 20. *Coroll.* 2. Mundi essentia in partium suarum combinatione, vel nexu sita est; (§. 236. Ont.); in eo modo scilicet, quo entia simultanea, et successiva inter se connectuntur.

THEOREMA II.

Mundus nequit esse ens aeternum.

§. 21. *Demon.* Nam Mundus est ens compositum (§. 18.); mutabile, et contingens (§. 19.); Atqui ens tale, aeternum esse nequit (§. 415. Ont.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 22. *Coroll.* 1. Mundus itaque est ens factum; quod initium habuit, et quidem ab alio a se diverso, nemo enim quod nondum existit potest operari (§. 195. On.), nec quisquam potest esse sui ipsius caussa (§. 47. ib.); proinde

§. 23. *Coroll.* 2. Si existit Mundus, caussa ejus effectrix existere debet; nullus namque effectus dari potest sine caussa sua efficiente (§. 47. Ont.).

THEOREMA III.

Caussa efficiens hujus Mundi sapientissima esse debuit.

§. 24. *Demon.* Nam in Mundo entia omnia ita sunt connexa, ut mirum ordinem efficiant (§. 7.), ad finem consequendum disposita; Atqui solius sapientis est, res ad fines suos disponere (§. 100. Ont.); Ergo etc. Sed; subsumo, quo pulchrior, et perfectior est effectus, eo sapientior est caussa, quae illum producit (§. 16.); Igitur, si omnium consensione, Mundus est ens ordinatissimum, et pulcherrimum, caussa efficiens etc. Optime Philo Judaeus (1. de Monarchia): *Nullum artificiosorum operum sponte provenit. Mundus autem arte summa factus est; ut ab aliquo praestantis scientiae opifice, ac perfectissimo sit conditus.* Q. E. D.

§. 25. *Coroll.* Caussa itaque efficiens hujus Mun-

di nequit esse ens compositum; neque enim mentem habet nec sapientiam: *Natura* enim, inquit Lactantius (Lib. de Ira Dei Cap. X.), *si mentem non habet, nihil efficiet unquam, nihil molietur. Ubi enim non est cogitatio, nec motus est ullus, nec efficacia.*

THEOREMA IV.

Atomi Epicureorum sunt substantiae materiales.

§. 26. *Demon.* Nam ex ipsa veterum Epicureorum confessione apud Tullium (Lib. 1. de Nat. Deor.) Atomi sunt *corpuscula quaedam levia; alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quaedam, et quasi adunca*; Ergo etc.

§. 27. *Coroll.* Atomi ergo sunt entia contingentia et ab alio (§. 279. Ont.), nec aeterna, sed facta (§. 415. ib.).

THEOREMA V.

Atomos Epicureorum, aeterno motu percitas esse, repugnat.

§. 28. *Demon.* Nam si atomi fuissent aeterno motu percitae, fuissent quoque aeternae; Atqui aeternae non sunt (§. 37.), sed factae; Ergo etc. Deinde si atomi aeterno motu percitae fuissent, vel motum illum sibi ipsis contulissent, vel accepissent ab alio extra se; Atqui sibimetipsis ex se conferre non potuerunt hujusmodi motum, quia cum sint corporaee, et inertes (§. 26.) sunt ad motus indifferentes; Ergo ab alio illum recipere debuerunt, juxta illud, *omne quod movetur ab alio movetur;* adeoque eorum motum praecessit caussa movens et activa; Sed quod caussam sui efficientem agnoscit, et suae existentiae initium babet, aetermum non est (§. 395.) Ergo etc. Q. E. D.

PROPOSITIO

Mundus hic, quem incolimus, ex fortuito atomorum concursu productus non fuit.

§. 29. *Demon.* Nihil fortuito accidit in Mundo, et sine ratione sufficiente (§. 129. Ont.), nihil fit sine caussa; Ergo a Mundo exulant casus, et saltus (§. 13.); Adeoque etc. Deinde atomi sunt substantiae materiales, atque inertes (§. 26.); rudes atque inordinatae, in Mundo autem pulcherrimus ordo relucet (§. 7.); Ergo Mundi productio nequit esse ab atomorum concursu (§. 17.). His adde, in Mundo, praeter substantias materiales, existere quoque substantias mere spirituales, ut omnes fere Philosophi (si quosdam delirantes materialistas excipere velimus) concedunt; Atqui substantiae spirituales nequeunt a substantiis materialibus produci; ergo multo minus ab atomis; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 30. *Schol.* Adeo absurdum est, et insulsum hoc Veternm Epicureorum systema de Muudo ab atomis fortuito concursu producto, ut illud vel ipsi Gentiles cachinnis, risuque exceperint. Hinc Tullius (Lib. II. de Nat. Deor. Cap. 37.): *Si Mundum, ait efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur Urbem non potest? Quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Si fortuitis atomorum concursionibus*, subdit Lactantius (Lib. de Opif. Dei Cap. 6.) *nascuntur omnia, cur nunquam fortuito accidit, sic coire illa principia, ut efficerent animal ejusmodi, quod naribus potius audiret; odoraret oculis, auribus cerneret. Si enim primordia, nullum genus positionis inexpertum relinquunt, oportuit, ejusmodi quotidie monstra generari, in quibus membrorum ordo praeposterus, et usus longe diversus existeret.* Piget ulterius ista prosequi.

CAPUT II.

De modo quo hic Mundus ortum habuit.

§. 31. *Animad.* Satis non est, validis ratonibus, firmissimisque argumentis ostendisse, Mundum hunc, quem incolimus, esse ens productum (§. 22.), et quidem ab efficienti caussa sapientissima (§. 24.), nisi etiam ostenderimus modum, et quomodo machina tam stupenda, et immensurabilis magnitudinis suum esse obtinugrit. Verum circa hoc variae circumferuntur

Auctorum sententiae.

§. 32. Cum nimis aequo persuasum aliquibus esset, *nihil unquam ex nihilo gigni, aut oriri posse*, creationem rei ex nihilo non intelligentes, eam pro impossibili venditarunt: Quare et Mundum quidem factum asserere non detrectarunt, sed factum a Deo ex praeexistente materià, quam aeternam, atque improductam sustinebant, dixerunt. Inter alios hujus erroris assertores, merito primus recensetur audacissimus Poeta Lucretius (Lib. 1. de nat. rerum), qui pro sui sistematis fundamento ponit.

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam; cujus rationes afferens, sequitur (ibid. v. 60.)

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret.
E mare primum homines, e terra possel oriri
Squamigerum genus, et volucres erumpere Coelo
Armenta atque aliae pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta, ac deserta tenerent. etc.

Licet autem hinc Auctor in se redisse videatur, atque palinodiam cecinisse, plures adhuc nactus est sectatores, quos inter principem locum sibi vindicat Auctor

libri *Systeme de la Nature*, in quo praeter alia, quae temerario, et sacrilego ausu in Religionem effutit, illud est: *materiam esse necessariam, et aeternam, motumque coeternum.* In eamdem fere sententiam abierunt Hobesius, Benedictus Spinoza, aliique pessimae furfuris scioli, qui unicam contingentium substantiam (unius nempe Dei) commenti sunt, quam substantiam aptam esse inquiunt ad infinitas formas suscipiendas, atque modificationes. Materiam quoque Deo coeternam, atque a Deo nonnisi in ordine redactam arbitrabantur Platonici, et Storici. Nec defuerunt qui Mundum dixerunt a Deo conditum per emanationem substantialem suae naturae. Saniores vero philosophi docent, Mundum hunc a Deo, per creationem factum fuisse.

THEOREMA I.

Materia Deo coeterna omnino repugnat.

§. 33. *Demon.* Per materiam Deo coeternam, vel intelligitur Deus ipse, vel alia substantia materialis a Deo diversa; Atqui utrumque omnino repugnat; Ergo etc. Prob. min. quoad primam partem. Deus, et materia sunt termini, qui se invicem destruunt, et entia denotant, quae attributis constant sibi invicem repugnantibus; Ergo etc. Prob. ans. Deus est nobis, ens omnino partibus carens (§. 282. Ont.); materia est ens quod partibus constat (§. 269. ib.); Deus est ens immutabile (§. 240. ibid.); materia vero ens mutabile (§, 279. ilid.); Deus est ens necessarium, et a se (§. 211. 242. ib.); materia ens contingens, et ab alio (§. 279. Ont.); Deus, ut cetera silentio praetereamus, est ens infinitum, (§. 294. ibid.); materia vero ens finitum (§. 293. ibid.); Atqui spirituale, et materiale; immutabile, et mutabile; necessarium, et contingens; infinitum, et finitum ita sibi

invicem opponuntur, ut omnino se excludant; alias idem simul esset, et non esset, quod omnino repugnat; Ergo per materiam Deo coeternam nequit intelligi Deus ipse; adeoque quoad hanc partem, omnino repugnat materia Deo coaeterna. Sed et non minus repugnat, si per materiam hujusmodi intelligere velimus materialem substantiam, a Deo diversam. Nam haec substantia materialis, quae fuisset Deo coaeterna, vel fuisset Deo subjecta tam quoad esse, quam quoad conservari, vel non. Si fuisset subjecta, ergo non coaeterna; ens enim, quod ab alio pendet, ut existat, non semper extitit; ergo facta fuit; si vero non fuit subjecta; Ergo fuit ens a se, et necessarium, immutabile; infinitum; Ergo plura darentur entia necessaria, et infinita; Atqui materia, utpote ens compositum, est ens mutabile; contingens, et finitum; atque omnino repugnat dari plura entia necessaria, et infinita (§. 300. ibid.); Ergo etc. Q. E. D.

§. 34. *Coroll.* Mundus ergo ex praeexistenti materia a Deo conditus non fuit.

THEOREMA II.

Mundus a Deo conditus non fuit per substantialem emanationem suae naturae.

§. 35. *Demon.* Nam ens necessarium, et a se, naturam habet immutabilem. Atqui ex immutabili, et necessario non potest aliquid mutabile, et contingens in tempore, per substantialem emanationem fieri, quia hoc in casu maturetur; Ergo etc. Deinde si per substantialem naturae suae emanationem ens necessarium contingentia produxisset, contingentia vel partes essent divinae substantiae et naturae, vel unam simul cum Deo substantiam constituerent; Atqui neutrum dici potest; non primum, quia, Ens necessarium, cum sit simplicissimum (§. 282. Ont.), in partes dividi nequit;

non secundum, quia entia contingentia nequeunt cum Deo unam naturam constituere (§. 33.), neque Dei, entis nempe necessarii, esse attributa (§. 247. Ont.); Ergo etc. Q. E. D.

THEOREMA III.

Entia materialia, quibus hic Mundus sensibilis constat, tota simul orta sunt.

§. 36. *Demon.* Nam nulla datur materia, sive aeterna, sive Deo coaeterna (§. 35.); Ergo nihil antecessit horum entium materialium productionem; adeoque tota simul orta sunt. Q. E. D.

PROPOSITIO

Mundus hic, quem incolimus, ab Ente necessario fuit per creationem productus.

§. 37. *Demon.* Nam hic Mundus neque ex fortuito atomorum concursu (§. 29.), neque ex praeexistente materia Deo coeterna (§. 33.); neque ab ente necessario fuit factus per emanationem substantialem suae naturae (§. 35.); Ergo ab ente necessario fuit per creationem productus. Prob. consa. Entia materialia, quibus hic Mundus sensibilis constat, tota simul orta sunt (§. 36.); Atqui entia materialia, sive composita, si tota oriuntur, per creationem oriuntur (§. 416. Ont.); Ergo etc. Q. E. D.

Argumenta opposita diluuntur.

§. 38. *Obij. I.* Indignum est Philosopho asserere quod repugnat; Atqui repugnat, Mundum per creationem produci; Ergo etc. Prob. min. Creatio est eductio rei ex

nihilo tam sui, quam subjecti; Atqui repugnat fieri aliquid ex nihilo; Ergo etc.

§. 39. R. conc. maj., dist. min.; Atqui etc., virtute entis contingentis, conc, virtute entis necessarii, n. min; Ergo etc., n. consm. Fatemur et nos, enti contingenti, tantam vim competere non posse, ut aliquid ex nihilo prorsus producat (§. 402. Ont.). Cum namque ad aliquid ex nihilo creandum, in caussa efficiente vis infinita requiratur, quae superare valeat distantiam infinitam inter aliquid et nihil (§. 401. ib.); cumque haec vis entibus contingentibus, adeoque finitis (§. 295. id.) repugnet, procul dubio entia contingentia aliquid creare non possunt. Hoc autem ipsum dici nequit ubi agitur de ente necessario, adeoque infinito (§. 294. ib.), quod virtute infinita est praeditum, vimque habet ea omnia efficiendi, quae intrinsecus non repugnant. Quoniam ergo contingentia antequam producantur, nullam in suis essentialibus dicunt contradictionem, propterea ens necessarium potest ea, ex nihilo existentiae, ad existentiam perducere.

§. 40. *Contra.* Atqui nec etiam virtute entis necessarii aliquid ex nihilo fieri potest; ergo n. r. Prob. subsm. Omnis productio suum debet respicere terminum; Atqui productio ex nihilo, quacumque virtute fiat, nullum potest respicere terminum; non quidem nihilum, quia nihili nullae sunt proprietates; non res productas, quia ante earum productionem nullum existere intelligitur subjectum praeexistens; Ergo etc.

§. 41. R. dist. maj. Omnis productio etc., terminum vel existentem ante productionem, vel existentem ex vi productionis, conc. maj., semper existentem, n. maj. et dist. min. Sed etc. existentem ante productionem, conc min., secus, n. min., et consm. Nec negamus, nec negare possumus, omnem productionem, suum debere respicere terminum; quaelibet namque productio est actio, quaelibet autem actio est relatio producentis ad terminum suum. At terminus istius relationis vel potest praeexistere, vel existit dumtaxat ex vi actionis productivae. Si actio productiva respicit terminum praexistentem, talis actio non vera creatio, sed modificatio potius dic

debet ; si autem actio terminum respicit, qui per ipsam producitur actionem, talis actio vera est, et proprie dicta creatio. Cum ergo productio, per creationem, suum respiciat terminum, vi productionis ipsius existentem, profecto nulla repugnantia esse potest, aliquid fieri ex nihilo, virtute entis necessarii.

§. 42. *Contra*. Atqui nulla productio ex nihilo potest respicere terminum, ex vi productionis existentem; Ergo n. r. Prob. subsm. Talis vel esset pura entium contingentium materia separata a forma, vel esset ipsa entium contingentium forma absque materia; Atqui neutrum esse potest, non quidem primum, quia materia est pura potentia, et habet esse per formam; non secundum, quia formae educuntur ex potentia materiae; Ergo etc.

§. 43. R. ad argumentum. Ut huic argumento satisfaciamus, sciendum est, duplicem circa primordialem entium contingentium productionem esse sententiam. Nonnulli, inter quos multi Sancti Ecclesiae Patres, putant, subjecta ab initio creata fuisse, *rudia* quidem, sed jam *formata*; hoc est subjecta simul cum formis fuisse condita. Alii vero, quibus et ipse S. Augustinus adhaeret, subjecta ex nihilo fuisse producta absque formis, quae postea de potentia materiae fuerunt eductae. Jam vero quaecumque ex his sententiis vera sit, semper verum erit, non defuisse creationis terminum, quippe eo tunc entia contingentia propriam habuerunt existentiam, quando per entis necessarii volitionem primo extiterunt.

§. 44. *Objic. II.* Repugnat dari agens absque subjecto; Ergo repugnat dari productio sine subjecto praeexistente; Adeoque etc. Prob. ans. Repugnat dari actio sine subjecto; Ergo repugnat etc.

§. 45. R. dist. ans. Repugnat dari actio transmutativa absque subjecto, conc.; actio tantum productiva, subd., virtute entis necessarii, n. ans., virtute entis contingentis, conc. ans.; Ergo etc., n. consm. Cum in actionibus transmutativis, puta generatione, alteratione, corruptione, partes subjecti mutari debeant, quoad novam aliquam formam, vel tantum quoad qualitates aliquas, certe, nisi subjectum praexistat, nulla talis a-

tio dari potest. Jam vero cum in creatione, non transmutatio fiat, sed vera, et absoluta rei productio, nullum praeexistens subjectum requiritur ante ejus actionem, quae actio, etsi enti contingenti repugnet, enti tamen necessario convenire inter comperta habendum est.

§. 46. *Contra.* Atqui actio etiam productiva dari nequit sine subjecto praesistente; Ergo n. r. Prob. subsm. Quidquid actu producitur, non repugnat ut producatur; sed quod produci non repugnat, debet aliquo modo existere; Ergo etc.

§. 47. R. Concessa maj., dist. min. Sed quod etc., quoad tantum esse intelligibile, seu puram non repugnantiam in suis essentialibus, conc., quoad realem quoque existentiam, n. min., et consm. Quidquid sane producitur, debuit aliquid esse ante productionem; hoc est debuit in intellectu Divino, tamquam possibile contineri; si namque non contineretur, et non esset possibile, utique ad existentiam, nequidem virtute entis necessarii produci posset. *Nihil enim creatur,* ait Doctor Subtilis (In II. dist. 1. quaest. 2. num. 1.) *quod non prius habuit esse intellectum, vel volitum: et in esse intellecto fuit possibile formaliter . . . . . et tunc fuit quasi in potentia propinqua. ut posset esse objectum omnipotentiae, et poni in esse simpliciter.* Igitur entia contingentia, ante productionem, fuerunt tantum aliquid intelligibile, non vero reale, et actu existens; adeoque cum ex nihilo producta dicuntur, non sunt producta, ex nihilo *simpliciter*, quo in sensu producta sunt ab aeterno in mente entis Omnipotentis, sed producuntur dumtaxat ex nihilo existentiae; haec namque productio supponit *esse* illud intellectum ab ente omnipotente, a quo proinde per actum suae volitionis producta sunt in *esse* existentiae. Neque id obstat in praesentia rerum, cum hoc solum in sensu, ex nihilo contingentia sint producta, eo modo, quo propugnamus.

§. 48. *Contra.* Atqui etiam repugnat, ut aliquid intellectum a caussa producatur, quin existat, etiam quoad *esse* existentiae; Ergo n. r. Prob. subsm. Repugnat, ut aliquid producatur sine caussa producente; Ergo a pari

repugnat, ut caussa aliquid producat ex subjecto non praeexistente,

§. 49. R. Concesso ante, n. consm., et paritatem. Maxima disparitas est in eo, quod adversarii praetendunt in argumento. Etenim potentia passiva, sive subjectum, ex se est quid imperfectum, neque ex se ullam habet vim, ut ex se solo possit effectum producere, sed tunc solum, cum concurret et activa, a qua potentia illa passiva perfici queat. At vero potentia activa, sive caussa producens contingentia, est in se perfectissima; adeoque est capax ea producendi; est namque ens natura sua necessarium, et prout tale, debet in se continere aliquod caussalitatis genus, quod ipsum a ceteris distinguat, quodque aliis incommunicabilis sit. Ideo ergo nequit subjectum existere sine caussa, quia cum nihil sit, nequit sibi existentiam tribuere (§. 197. Ont.); ideo autem potest caussa efficiens prima aliquid producere absque subjecto praeexistente, quia potentiam habet infinitam.

Objectiones aliae extra formam.

§. 50. Et primo. Tunc res dicitur creari, cum secundum totam suam realitatem, vel rationem producitur; Atqui prorsus repugnat, ut aliquid sic producatur; Ergo repugnat rem creari; adeoque falsa propositio.

II. Si Mundus fuisset creatus, ante creationem fuisset nihil; sed quod est nihil, est impossibile; Ergo fuisset impossibile Mundum existere. Atqui existit; Ergo nunquam fuit nihil; adeoque semper extitit, nec fuit aliquando creatus.

III. Ex ideis, quas habemus, philosophandum, esse, Canon est Philosophorum; Atqui nullam de creatione ideam habemus; Ergo temere asseritur, Mundum fuisse creatum.

IV. Tandem, licet non intelligamus quomodo Mundus per creationem, de non existente, factus sit existens, adhuc tamen asseritur, ipsum esse ens creatum; Eccur ergo non licebit dicere, Mundum aeternum esse, licet

non intelligamus quomodo ens contingens sit aeternum? Adeoque etc.

§. 51. R. ad objecta argumenta. Et ad I. dist. maj. Tunc res dicitur creari, cum etc., seu secundum illam entis rationem, qua creari potest, conc.; cum producitur secundum universalissimam entis rationem n. maj., et contrad. min.. n. consm. Creatio nequaquam exigit, ut res fiat secundum universalissimam entis rationem; id quippe repugnat; non omnia enim entia possunt produci, cum ens necessarium dari debeat, quod sit productionis incapax; sed solum exigit, ut res, quae producitur, producatur secundum totam sui realitatem; ita nempe, ut nihil ejus reipsa praeëxtiterit, quod sane non implicat.

Ad II. R. dist. min. Si etc. nihil essentiae, n.; nihil existentiae, conc, maj. Sed etc. dist. min. Quod est nihil essentiae, est impossibile, conc.; nihil existentiae, n. min.; Ergo etc. n. consm. in data dist., et dist. cons. min. subs; Numquam fuit nihil essentiae, conc., nihil existentiae, nego utramque consm. Non omne nihil est impossibile, sed illud tantum, quod dicitur *nihil essentiae*, sive *negativum*; idque ob repugnantiam, quam habet in suis essentialibus (§. 166. Ont.); Mundus vero hic, ante creationem, fuit nihil existentiae, quatenus non existebat, non vero nihil essentiae; quia licet non existebat, nullam tamen habebat contradictionem ad existendum; quare poterat creari.

Ad III. dist. min. Nullam etc.; hoc est modum nescimus, quo per Dei actionem res, quae nihil est, existens evadat; at simul clare cognoscimus, res hujus Mundi, existentiam primordialem non potuisse aliter, quam per veram creationem habere, conc,, secus, n. min., et consm. Esto confiteamur, nos latere prorsus modum, puo creatio fiat, scimus tamen, et evidenter cognoscimus, res hunc Mundum componentes, nonnisi per solam creationem primo ortum suum habuisse (§. 37.).

Ad IV. tandem. Maxima est disparitas in eo, quod praetendunt adversarii in argumento. Ideo namque licet nobis asserere, Mundum esse creatum, esto nesciamus modum quo peragatur creatio, quia clare perspicimus

repugnare prorsus, entia, contingentia, quibus constat Mundus aliter, quam per creationem habere potuisse existentiam. Ideo autem non licet asserere, Mundum esse aeternum, non quia ignoramus, quomodo ens contingens sit aeternum, sed quia evidentissime cognoscimus, materiam aeternam esse non posse (§. 33.). Ostendant adversarii materiae aeternitatem non repugnare, et valebit adducta paritas in argumento.

CAPUT III.

Expenditur an Mundus fuerit creatus in aeternitate, vel potius in tempore; et an saltem potuerit creari ab aeterno.

§. 52. *Animad.* Quamvis omnino certum exploratumque sit, Mundum hunc adspectabilem, ab ente necessario, et quidem per creationem fuisse productum, ut merito in meridiana luce caecutire dicendi sint, qui aliter cum Veteribus quibusdam, et Recensioribus sentire audeant; adhuc tamen apud omnes, maxime hujus temporis Pseudophilosophos, non satis est compertum, num in aeternitate, vel potius in tempore fuerit creatus, quippe variae super hoc inveniuntur

Auctorum opiniones.

§. 53. Et quidem Pythagorae, Platonis, Xenocratis, Dicearchi, Aristotelis, aliorumque Veterum sententia fuit, Mundum hunc ab ipsa aeternitate fuisse a Deo creatum. Ab his nihil dissentit Jordanus Brunus, ingenio quidem praecellens, sed vere impius, qui Apostasiae a Religione, atque impietatis suae poenas solvit, flammis damnatus. Ejusdem opinionis fuerunt Voltairius, et Auctor Libelli *Les lettres persannes*; qui vulgo creditur D. Montesquieu, quorum primus Mundum aeternum esse debere asserunt, quia Entis aeterni opus; alter vero rationem intelligere volens cur Deus

Mundum in tempore creaverit, cum eam intelligere nequiret, Mundum ab aeterno factum esse pronuntiavit. Non defuerunt insuper alii, qui licet Mundum a Deo in tempore creatum esse tuentur, tenent tamen, ipsum quoad entia saltem permanentia, potuisse ab aeterno creari. Plures tam Veteres, quam recentes haec sententia nacta est sectatores, inter quos S. ipse Thomas recensetur, qui ita scribit (1. P. q. 46. Art. 1.): *Licet Deus ab aeterno fuerit sufficiens caussa Mundi, non tamen oportet, quod panatur Mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in praedifinitione suae voluntatis, ut scilicet habeat esse post non esse, ut manifestius declaret suum auctorem.* Quaenam erit nostra sententia, mox patebit.

PROPOSITIO I.

Mundus non fuit a Deo in aeternitate productus.

§. 54. *Demon.* Nam vera creatio supponit transitum a non esse, ad esse (§. 399. Ont.), aeternitas vero semper esse supponit, quippe nec initum agnoscit, nec finem (§. 396. ibid.); Igitur asserere Mundum in aeternitate creatum, idem ac dicere, Mundum fuisse factum, nec semper extitisse, quia ens creatum (§. 420. ib.), et simul semper extitisse, quia ab aeternitate; nimirum idem simul esse, et non esse; Atqui hoc repugnat; Ergo etc. Deinde illud ens dicitur creari, quod aliquando fuit nihil, et in statu purae possibilitatis; Sed quod est aeternum semper extitit; Igitur Mundus etc. Q. E. D.

§. 55. *Coroll.* Mundus itaque fuit a Deo in tempore creatus.

PROPOSITIO II.

Omnino repugnat, Mundum creari ab aeterno.

§. 56. *Demon.* Quod nunc est, et aliquando non erat, dicitur creatum; quod vero est, et semper fuit, nec initium habet, dicitur aeternum. Quodlibet ergo ens vel est creatum, vel aeternum; Si ergo Mundus est ens creatum, non semper extitit ab aeterno; Atqui Mundus fuit creatus (§. 67.); Ergo aliquando non extitit; adeoque etc. Deinde Mundus est effectus; supponit ergo caussam sui effectricem, materialiter sumptam, tempore praeexistentem, quae potens fuit ipsum creare, hoc est de non existente efficere existentem. Quare Mundus, quia creatus, fuit *tempore* posterior sua caussa; adeoque fuit aliquando nihil; si enim non fuisset nihil, cum existit, non potuisset dici creatus; Ergo etc. Q. E. D.

§. 57. *Coroll.* Tota itaque impossibilitas creationis Mundi ab aeterno, se tenet, 1. ex parte aeternitatis, quae pugnat cum creatione, cum haec exigat transitum rei quae creatur de non esse ad esse, illa vero semper esse; 2. ex parte Dei, qui nequit efficere, ut quod est intrinsecus impossibile, fiat possibile (§. 176. Ont.), quale est rem creari, et esse ab aeterno (§. 36.); 3. tandem ex parte Mundi ipsius, qui cum sit contingens, et creatum, non potuit esse ab aeterno, sed in tempore suae existentiae initium hubuit.

Oppositis argumentis occurritur.

§. 58. *Obiic. I.* Ideo asseritur, Mundum non potuisse a Deo creari in aeternitate, quia ipsum ab aeterno creari, ex parte aeternitatis, repugnat; Atqui nulla est talis repugnantia; Ergo falsa propositio. Prob. min. Nulla est repugnantia, ex parte aeternitatis, ut Deus operetur in tota aeternitate futura; ergo neque ulla est re-

pugnantia ex parte aeternitatis, ut Deus operatus sit in aeternitate praeterita; adeoque ab aeterno; et consequenter, etc.

§. 59. R. dist. ans. Nulla est repugnantia etc., ut Deus operetur in tota aeternitate futura, hoc est in omnibus simul futurae aeternitatis momentis, ut totam futuram aeternitatem exhauriat, nego; in singulis momentis determinatis futurae aeternitatis, conc. ans; et similiter dist. primo consequente, nego ultimam consm. Per totam aeternitatem futuram operari posse dicitur Deus, quatenus nullum est momentum, in quo operari non possit, et quantumcumque operetur, semper operari praeterea queat in momentis, quae adsignabili cuicumque aeternitatis futurae momento necessario, et sine ullo limite succedunt; non autem operari potest per totam futuram aeternitatem collective sumtam, ita ut in omnibus simul momentis ejus operetur, ac totam ipsam futuram aeternitatem exhauriat; id namque aeternitati ipsi repugnat, quae cum initio careat, et fine, est series continua momentorum actu semper finita, in infinitum. Similiter ergo, potuit utique Deus operari in singulis momentis aeternitatis praeteritae; potuit nempe Mundum longe prius condere, quam condidit; At non potuit tamen operari in omnibus simul momentis aeternitatis praeteritae, seu tempore prorsus infinito, ac tota aeternitate; ita namque aeternitatem ipsam praeteritam exhausisset, quod repugnat; cum aeternitas praeterita sit series continua momentorum, semper finita in infinitum, quae proinde numquam potuit esse tanta *a parte ante*, ut major esse nequiverit, numquam propterea exhauriri poterit.

§. 60. *Contra.* Ex concessis, Deus operari potuit in singulis momentis aeternitatis praeteritae; Ergo et in omnibus simul; adeoque a tota aeternitate. Prob. consa. A sensu distributivo ad collectivum tenet consequentia; si ergo, ex concessis, Deus etc., poterit etiam in omnibus simul.

§. 61. R. Dist. ans. A sensu etc., in iis, quae actu sunt, conc., in iis, quae sunt potestate, n. ans, et consm. Quod verum est in sensu distributivo, est quoque verum

in sensu collectivo, tunc dumtaxat, cum quae distributive, ac collective sumuntur, sunt actu, non vero cum existunt solum potestate. Ita rite argumentaremur: Demosthenes est orator, Tullius est orator, Hortensius est orator; Ergo Demosthenes, Tullius, et Hortensius sunt oratores. Perperam autem, ex eo, quod infiniti homines, seorsim possibiles sint, colligeret quis, etiam simul actu existere. Idipsum reponendum est proposito argumento. Etsi namque in singulis momentis praeteritae aeternitatis, Deum operari potuisse concedamus, non exinde colligendum, operari etiam potuisse in momentis omnibus simul; momenta quippe aeternitatis, actu nequaquam omnia existunt, sed possibilia tantum concipi debent. Cum namque aeternitas sit series continua momentorum sine ullo limite crescentium, tam *a parte ante*, quam *a parte post*, non possunt in ea tot mumenta simul sumi, praeter quae non sint alia infinita, et anteriora, et posteriora; non possunt proinde omnia aeternitatis momenta exhauriri neque *a parte ante*, neque *a parte post*; neque idcirco potuit Deus in omnibus simul aeternitatis praeteritae momentis operari; etsi ergo potuerit in singulis spatii punctis operari, non potest tamen in omnibus simul.

§. 62. *Contra.* Atqui si Deus operari potuit in singulis distributive momentis aeternitatis praeteritae, potuit et collective in omnibus; valetque hac in re conclusio a distributivo ad collectivum; Ergo n. r. Prob. subsm. Si Deus extitit in singulis distributive momentis praeteritae aeternitatis, extitit et collective in omnibus; valetque hac in re conclusio a distributivo ad collectivum; Ergo etc.

§. 63. R. neg. consm. Ratio autem cur a singulis momentis aeternitatis, in quibus extitit Deus, rite argumentamur ad omnia simul, non vero a singulis momentis, quibus potuit ipse operari, recte concludatur ad omnia collective, perspicua est ex dictis in superiori responsione. Momenta namque, in quibus extitit Deus, fuere actu; non namque distinguuntur ab ipsa ejus duratione; itaut idem ferme sit dicere: Deus extitit omnibus simul momentis aeternitatis, ac dicere: Deus extitit quamdiu duravit, seu quamdiu extitit. At vero

momenta, in quibus operari potuit Deus, ac extra se aliquid producere, non fuere, actu, sed potestate tantum; quemadmodum non actu, sed potestate tantum ejus operatio, ac rerum creatarum existentiae fuerunt; quae quidem creatarum rerum existentiae, seu potius reales earum temporarii existendi modi, realia, et actualia temporis momenta constituunt.

§. 64. *Obij. II.* Deus extitit ab infinito tempore; Ergo ab infinito quoque tempore operari potuit; Adeoque etc. Prob. consa. Tam potuit Deus, qui fuit ab infinito tempore, ab infinito tempore operari, quam Sol perfudisset lucem a tempore infinito, si ab infinito tempore fuisset; Atqui si Sol ab infinito tempore extitisset, ab infinito quoque tempore lucem emisisset; Ergo etc.

§. 65. R. conc. maj., dist. min. Si Sol etc. lucem emisisset ab infinito tempore, hoc est fuisset lucidus, seu habuisset motum intestinum partium ab infinito tempore, conc., illuminasset spatia circumposita ab infinito tempore, n. min., et dist. cons. Deus operari potuit *ad intra*, conc. *ad extra*, nego consm. Allato Solis exemplo, quo ad demonstrandam Verbi Divini aeternitatem adversus Arianos uti consuevere Veteres Ecclesiae Patres, et Augustinus praesertim (Lib. VI. de Trin. C. VI.), tota doctrina, quam hic tradimus, mirifice illustrari potest potius, quam vel minimum labefactari. Sicuti namque in Sole duplicem operationem distinguere possumus, motum nempe intestinum partium, quo ipsius natura continetur, quemque actionem Solis internam dicere possumus, et operationem aliam, qua lumen a sua substantia avulsum in spatia circumposita diffundit, quae operatio quaedam externa Solis est. Ita in Deo quoque duplicem operationem jamdudum agnoscunt Theologi, aliam, quam dicunt *ad intra*, aliam quam *ad extra* vocant, illam Deo essentialem, hanc Deo contingentem, et liberam; illam qua Filium intra se generat, hanc qua res contingentes, quas in se eminenter continet, extra se produxit. Porro quemadmodum quia Sol motu partium intestino carere non potest, quin desinat esse Sol, quamdiu ipse est, tam-

diu est et motus ille partium intestinus ; et si Sol ab aeterno extitisset , ab aeterno quoque motum partium intestinum habuisset , ac lucidus fuisset ; Ita quia operatio *ad intra* , Deo est essentialis , et sine ipsa Deus, non esset Deus , idcirco ab aeterno ipse *ad intra* operatur , ac Filium generat , uti ab aeterno existit. Admittere namque Solem ab aeterno existentem , neque ab aeterno lucidum , motuque interno partium destitutum ; Deum pariter ab infinito existentem tempore , neque interim *ad intra* operantem , esset admittere simul Solem , et Deum ab aeterno , et simul negare ab aeterno existentes. E contra vero , quemadmodum non ab aetermo circumposita spatia Sol illuminare potuisset , seu non potuisset ad extra operari , etsi ab aeterno extitisset ; ita quamquam Deus ab infinito tempore extitit , non idcirco ab infinito tempore extra se operari , et res contingentes creari potuit.

§. 66. *Contra* Atqui Deus, qui extitit ab aeterno , non solum operari debuit ab aeterno *ad intra* , sed et potuit operari *ad extra* ab aeterno , quemadmodum Sol , si ab aeterno extitisset, fuisset corpus lucens ab aeterno , seu habuisset motum internum partium ab aeterno : Ergo etc. Prob. subsm. Ideo ex concessis , Sol ab aeterno fuisset lucidus si ab aeterno extitisset , quia luciditas haec , seu hic motus intestinus partium convenit Soli , necessitate naturae Solis ipsius ; Ergo si Deus operaretur ad extra , necessitate naturae suae, operatus esset ad extra a tota aeternitate ; sed magis potens non esset Deus si ageret necessario , atque sit , si libere agat ; Ergo etiam libere operari potuit ab aeterno , quemadmodum Sol etc.

§. 67. R. concesso antec. , et prima consa., dist. subsm. , et aliunde absurdissima est hypothesis , in qua ponitur Deus necessario operari ad extra , conc. ; absurdissima non est hypothesis illa , n. min. , et ult. consm. Si Deus necessitate naturae extra se opereretur , seu si res factae essent emanationes essentiales Naturae Divinae , res ipsae factae essent Dei attributa , ab ejus essentia necessario manantia ; quapropter essent et ipsae ab aeterno factae ; seu ab aeterno emanassent ab essentia Dei necessaria ; quippe sine iis Dei natura esse ne-

quivisset; quemadmodum natura esse nequit sine attributis, quae ab ipsa fluunt necessario. Verum; ut praeteream hac in hypothesi, omnes Dei operationes fuisse futuras operationes *ad intra*, non *ad extra*, de quibus tantummodo hic loquimur; ut id inquam, praeteream, hypothesis illa, qua Deus necessitate naturae suae agere ponitur, cum tota Dei natura pugnat, estque absurdis sima; quapropter nihil mirum, si ex absurda hypothesi, absurda quoque consectaria deducantur; potuisse nempe Deum, ab infinito tempore, extra se operari.

§. 68. *Contra.* Atqui quemadmodum ab aeterno operatus esset Deus, si necessitate naturae suae ageret, ita ab aeterno operari potuit, etsi libere agat; Ergo n. r. Prob. subsm. Idcirco ab aeterno operatus esset Deus si ageret necessitate naturae, quia operatus eeset in instanti; sed momento etiam operari poterat Deus, etiamsi operatus esset libere; Ergo etc.

§. 69. R. primo neg. maj. Ratio namque, ob quam operatus esset ab aeterno Deus si egisset suae naturae necessitate, est, quia in ea absurdissima hypothesi, res ab ipso productae, ab eo distinctae non fuissent, sed fuissent Dei attributa quaedam, ab ejus natura necessario manantia. Quare sicuti Dei natura ab aeterno est, ita et ab aeterno fuissent res ab ipso productae, necessariae scilicet emanationes Naturae Divinae.

R. 2. Dist. min., Deus momento etiam extra se operari poterat, et aliunde nullum fuit momentum in aeternitate, ante quod non fuerint alia momenta in infinitum, conc.; fuit aliquod hujusmodi, n. min.; et consm. Licet Deus momento extra se agere concedatur, non tamen consequitur, ipsum operari ab aeterno potuisse, quin imo et ipsum non potuisse concluditur. Cum namque in aeternitate nullum sit momentum, ante quod non sint alia momenta, alioquin aeternitas non esset a parte ante infinita absolute es sime limite ullo; jam nullo momento in aeternitate assumto operari potuit Deus, quin etiam ante operari potuerit, neque propterea ab aeterno operari potuit.

Alia opposita argumenta extra Scholae formam.

§. 70. Atque in primis. Deus quaecumque voluit fecit. Sed ab aeterno voluit Mundum; Ergo et ab aeterno illum creare potuit.

Secundo. Dicere Mundum non potuisse a Deo in aeternitate creari, est detrahere Dei omnipotentiae, cui non est finis. Ergo etc.

Tertio tandem. Deus operari potuit, ex quo extitit; Ergo sicuti extitit in omnibus simul momentis aeternitatis praeteritae, ita poterit in omnibus simul operari; adeoque Mundum producere.

§. 71. R. ad omnia. Et ad 1. dist. min. Deus ab aeterno voluit Mundnm in tempore creandum, conc., secus, n. m., et consm. Licet omnia, quae existunt, a Deo ab aeterno sint volita, alias numquam extitissent, non tamen ab aeterno ea pariter creata esse dicenda sunt, sed in definito tempore. Et recte, quot homines videmus in dies produci, quot animalia, et alia bene multa quotidie nasci observamus, et in futuro reservantur creanda, quae retroactis annis non existebant? Haec certe, et aliae ab aeterno sunt volita; cur autem nascuntur modo, et producuntur? Profecto quia Deus voluit ab aeterno ea producere, sed statuto tempore, secundum consilium voluntatis suae. Idipsum de Mundo dicendum; voluit nempe illum ab aeterno, at pro aeternitate noluit; quia fieri non poterat; voluit proinde in tempore faciendum, sicuti et fecit.

Ad II. Nihil detrahitur omnipotentiae Dei asserendo, Mundum fieri non potuisse ab aeterno; Nam omnino repugnat, Mundum creari ab aeterno (§. 36.) Quae autem omnino repugnant, hoc est sunt intrinsecus impossibilia, a Dei voluntate non pendent (§. 178. Ont.); adeoque divinam non laedunt Omnipotentiam; quippe potius dicuntur, quod fieri non possint, quam quod Deus non possit ea facere.

Ad III. tandem. Dist. ans. Deus operari potuit quovis momento determinato, quo extitit, conc.; ope-

rari potuit ab infinito tempore, sicuti ab infinito tempore extitit, n. ans., et utramque consm. Dei itaque operatio, et creaturae productio, peragi numquam potuit, nisi in determinato aeternitatis praeteritae momento; quaemadmodum certe, neque operari Deus potest, neque creatura produci, nisi in determinato puncto spatii; sicuti namque cum res producitur, determinate existit; ita non potest determinate existere, quin et alicubi, et aliquando determinate existat, seu quin et in determinato existat spatii puncto, et in temporis momento determinato. Et quidem cum res producitur, ac existentiam obtinet, ipsa sua existentia momentum temporis concreti, seu realis constituit; sua proinde existentia respondere debet momento alicui determinato temporis abstracti, et imaginarii. Quoniam ergo determinato aliquo momento in aeternitate assumto, necessario operari debuit Deus, apparet operari potuisse Deum, quovis sane determinato momento, quo extitit, non autem omnibus collective momentis quibus extitit, seu a tempore prorsus infinito, quo extitit. Et quidem nullum est in aeternitate determinatum momentum, quo operari Deus potuit, ante quod non praecesserint infinita alia momenia, in quibus ipse extiterit. Quare necesse fuit, ut post infinitum tempus elapsum, Deus operaretur, quia nempe, ut dictum est, operari non potuit, nisi momento aeternitatis determinato, existere debuit ante quodvis momentum determinatum. Atque hinc perspicuum est, non potuisse Deum operari ab infinito tempore, et in momentis omnibus collective, aeternitatis praeteritae; etsi ab infinito tempore, ac in omnibus collective momentis praeteritae aeternitatis extiterit (*a*).

---

(1) Leg. Storchenau Cosm. Sect. I. Cap. II. §. XXVII. P. Joseph Maria de S. Marco in Lamis Elem. Cosm. P. I. Cap. IX. Prop. I.

SECTIO II.

De Mundi perfectione.

§. 72. *Animad.* Mundum hunc, in genere entis inspectum, bonum esse, atque perfectum, quisque Metaphysicorum facile concedet, cum certum, exploratumque sit, unumquodque ens esse bonum (§. 324. On.). At quoniam perfectio suos habere potest gradus, non immerito inquirunt Philosophi, cujus generis sit ista Mundi perfectio; an nempe sit omnium maxima, nec ulterius augeri possit; an vero gradus, et limites habeat, qui tamen non efficiant, quominus Mundus, spectato sui Auctoris fine, perfectissimus dicatur, et sit? Unde et duplicem distinguunt perfectionem, unam *entitatis*, et *naturae*, alteram *finis*. Nos propterea ipsorum morem gerentes; ut quae de Mundi perfectione dicturi erimus, plane intelligantur, Sectionem hanc duobus capitibus absolutam dabimus; in quorum primo entitativam Mundi perfectionem, in altero ejusdem finis perfectionem expendemus.

CAPUT I.

De entitativa perfectione, et an huic Mundo conveniat.

§. 73. *Def. Perfectio entitativa, hic nobis, est illa, quae nullam includit imperfectionem, nihilque habet negativi,*

§. 74. *Animad.* Perfectio isthaec, de qua loquimur, proprie est illa, quae vocatur *perfectio entitativa simpliciter simplex*, ut distinguatur ab illa, quae licet perfectio entitativa dicatur, cum tamen imperfectionem admixtam habeat, dicitur *entitativa simplex, secundum quid*

§. 75. *Coroll.* Illud ergo ens dicitur entitatis perfectione perfectum, quod undequaque est perfectum, ut aliud eo perfectius esse, aut fieri, sit impossibile.

§. 75. *Coroll.* 2. Erit itaque hac perfectione entitatis perfectissimus hic Mundus, si inter omnes alios possibiles Mundos, ipse solus sit, cui nihil praeterea ad eius perfectionem addi possit. At est ne revera talis, an non?

Variae sunt Philosophorum sententiae.

§. 77. Omnes illi, qui Mundum hunc vel aeternum, et improductum dicunt, vel cum Deo confundunt, fateri quoque coguntur, ipsum esse perfectissimum entitativa perfectione. In hanc eamdem sententiam nonnulli opinantur, abiisse Leybnitium, et Wolfium, quorum primus a Sophia Carolina Prussiae Regina jussus, ut opus Petri Bayle *De origine mali* confutaret, id quidem in Theodicea mirifice confecit, sed Mundi optimismum promovit, atque promulgavit. Secundus inquit, quod *existens Mundus, prae aliis possibilibus est optimus.* Hos sequuntur Leybnitiani fere omnes, contra quos stant melioris notae Philosophi. Etsi mihi facie persuadeo, praeclarissimos viros illos, eorumque Sectatores, hunc Mundum, prae aliis possibilibus, perfectissimum adstruentes, de perfectione loqui, quae ex consensu repetatur cum finibus a Creatore praestitutis in Mundi creatione. Jure proinde eos Mundum hunc omnium possibilium optimum affirmare. Neque aliud evincere videntur, quae laudati viri adducunt ad demonstrandum hunc Mundum esse omnium perfectissimum.

THEOREMA I.

Quodlibet ens, praeter ens necessarium existentiae, est naturae finitae.

§. 78. *Demon.* Ens naturae infinitae, non est, nisi unum (§. 300. Ont.); Sed ens necessarium existentiae est infinitae naturae (§. 294. ibid.); Ergo nullum aliud ens, praeter ens necessarium existentiae, est infinitae naturae; Adeoque etc. Q. E. D.

§. 79. *Coroll.* Hic ergo Mundus non est infinitae naturae; est namque contingens (§. 19.), et finitus.

THEOREMA II.

Quolibet ente finitae naturae, possibile est aliud perfectius.

§. 80. *Demon.* Quodlibet ens finitae naturae perfectione aliqua destituitur, vel perfectionis intensitate, quae in eo possibilis est (§. 290. Ont.); includit proinde imperfectionem aliquam; possibile ergo est ens, quod minorem imperfectionem includat, maioremque habeat perfectionem; Atqui hoc est priore perfectius; Ergo etc. Q. E. D.

§. 81. *Coroll.* Mundo itaque hoc, quem incolimus, dari potest alter majoris perfectionis.

THEOREMA III.

In serie entium possibilium, praeter ens necessarium existentiae, nullum est ens omnium perfectissimum.

§. 82. *Demon.* In serie contingentium nullum ens reperitur, quod non sit naturae finitae (§. 78.); Ergo nullum est ens, quod non sit alio perfectius (§. 80.); Adeoque nullum est omnium perfectissimum. Q. E. D.

PROPOSITIO

Mundus hic, quem incolimus, non est omnium Mundorum possibilium perfectissimus, perfectione entitatis.

§. 83 *Demon.* Mundus hic, quem incolimus est contingens, et naturae finitae (§. 79.); Sed quolibet ente naturae finitae possibile est aliud perfectius (§. 80.); Ergo possibilis est alter Mundus, hoc praesenti perfectior (§. 81.); Adeoque hic Mundus non est etc. Ulterius si Mundus hic esset omnium possibilium perfectissimus, praeter ens necessarium existentiae., aliud ens daretur omnium perfectissimum; Atqui hoc manifeste repugnat (§. 82.); Ergo etc. Tandem si hic Mundus foret omnium possibilium perfectissimus, Divina potentia ad Mundi hujus solius creationem foret limitata, quippe alium non haberet hocce perfectiorem, quem crearet. Sed Divina potentia est infinita, et entia longe perfectiora quam illa, quae fecit, pro lubitu suo potest efficere; Ergo etc. Q. E. D.

§. 84. *Coroll.* Mundus ergo ideo omnium entitative perfectissimus dici nequit, quia talis perfectionis est incapax. Mundus namque est finitus, et finitorum entium numerum complectitur, et sane quibus longe

nobiliora alia, et perfectiora clare intelligimus; quapropter extensionem obtinere potest, et numerum entium majorem complecti: et entia nobiliora; augeri propterea entitative potest, ac proinde entitativa perfectione perfectissimus non est.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 85. *Objic. I.* Deus est agens sapientissimum, et optimum; Ergo dum agit, quae sunt optima facit; adeoque dum condidit Mundum, omnium possibilium elegit perfectissimum, entitatis perfectione.

§. 86. R. conc. ant., dist. cons.; facit quae sunt optima in se, suique natura, et entitate, nego; quae sunt optima respectu finis, quem sibi proponit, concedo primum cons., et n. ult. consam. Cum nullum naturae opus tantum naturalis, ac entitativae perfectionis continere possit, ut non adhuc majorem perfectionem continere queat, utque non illo perfectius opus in genere eodem sit possibile, frustra in operibus sapientissimi, et summe boni artificis, natura, et entitas perfectissima requireretur. Itaque ex eo Dei sapientia, ac bonitas maxime commendatur, quod opera ejus finibus iis, ad quos facta sunt, exactissime respondeant; finis proinde perfectione perfectissima sint. Quemadmodum sane humanorum artificum sapientiam ex eorum operibus unusquisque colligit, si in iis nihil dissonum, ad fines autem ab artificibus intentos singula conspirent; sive deinde ex nobiliori, an ex minus nobili materia illa sint elaborata. Cum ergo Deus sit Mundi hujus, quem inhabitamus, artifex sapientissimus, et optimus, colligemus, Mundum a finibus Deo propositis, ne vel minimum aberrare; perfectissimum idcirco esse perfectione finis, non autem sortitum eum esse naturam, et entitatem nobilissimam, qua perfectiorem nullus alius Mundus obtinere possit.

§. 87. *Contra.* Atqui si Deus est egens sapientissimum, et optimum, optima quoque ipse producit, non fine solum, sed et natura, atque entitate; Ergo

n. r. Prob. subsm. Quemadmodum sapientiae est, rem ad fines suos exacte dirigere; ita bonitatis, rei perfectiones naturales impartiri; sed si Deus efficeret opus, quod minus congrueret finibus ei propositis; non esset sapientissimus; Ergo si efficeret opus, quod minus contineret entitativae perfectionis, quam continere posset, non esset optimus, et summe bonus; Ergo si Deus est non solum sapientissimus, sed et optimus, seu summe bonus, opera, quae facit, efficit non solum perfectissima finis perfectione, sed etiam entitatis.

§. 88. R. conc. maj., et min., n. utramque consequentiam cum paritate. Idcirco namque sapientissimus non esset Deus si opus efficeret, quod non adcurate, quoad fieri posset, iis finibus obtinendis par esset, ad quos esset factum, quia eo ipso frustraretur Deus finibus suis, atque ad eos consequendos apta media ignorasset, quod certe sapientissimo enti omnino repugnat. At vero adhuc optimus, et summe bonus dicendus est, etsi opus condiderit, quod non omnem entitavivam perfectionem continet, quam continere posset; quia opus hujusmodi, tanta entitatis perfectione, actu praeditum, quantae sit capax, est prorsus impossibile. Nam quodcumque opus Dei *ad extra*, ut semper naturae finitae esse debet, ita et novae semper perfectionis est capax. Quapropter Mundus hic, qui est opus Dei sapientissimi Opificis, ac summe boni, perfectissimus esse debet finis perfectione, non vero perfectissimus perfectione entitatis, et naturae. Et sane quemadmodum non derogatur infinitae sapientiae Dei, etsi in Mundo quaedam imperfectiones obtineant, quae ab ipso auferre impossibile fuerit, ita non detrahitur summae ipsius bonitati, quod Mundus perfectissima entitate, et natura non sit praeditus, quae illi repugnat.

§. 89. *Contra*. Atqui nisi opera Dei perfectissima sint entitatis perfectione, detrahitur summae ipsius bonitati, quemadmodum detraheretur sapientiae, nisi opera ejus essent perfectissima perfectione finis; Ergo n. r. Prob. subsm. Summum bonum est sui ipsius summe diffusivum, Ergo detrahitur bonitati divinae, nisi Deus sit summe sui ipsius diffusivus; sed si Deus est summe

sui diffusivus, opera, quae efficit, efficit omnino perfectissimae entitatis; Ergo nisi etc.

§. 90. R. dist. ans. Quatenus diffundere potest, ac communicare seipsum in finitum, conc.; quatenus diffundere ac communicare seipsum modo perfectissimo possit, aut debeat, n. ans; et dist. cons. Ergo etc., nisi Deus sit summe sui diffusivus, hoc est, nisi possit seipsum diffundere in infinitum, conc., nisi seipsum aut diffundat, aut diffundere possit modo perfectissimo, n. consm., et dist., subsm. Si Deus est summe sui diffusivus, ita nempe, ut possit seipsum communicare in infinitum, opera etc., si Deus est summe sui diffusivus, ita ut debeat seipsum perfectissimo modo communicare, conc. min. subsm., et n. consm. Itaque Deus, utpote summum bonum, summe est sui diffusivus, quatenus producere potest res numero semper finito in infinitum perfectiores, et perfectiores absque ullo limite; iis proinde potest in infinitum perfectiones suas communicare. Non autem summe diffusivus est Deus, quasi possit, aut debeat seipsum creaturis communicare modo perfectissimo; id enim non patitur creaturae indoles ac natura; sicuti nempe creatura quaevis est suapte natura finita, ita et suapte natura, semper novae perfectionis est capax; adeoque non potest tantam recipere, ut perfici praeterea nequeat. Quod cum ita sit, nihil summae Dei bonitati detrahitur ex eo, quod opus condiderit, Mundum nempe hunc, non perfectissima natura, et entitate praeditum; cum inter omnes possibiles Mundos nullus sit, cui non nova possit fieri perfectionis accessio. Ceterum etiamsi possibilis esset Mundus entitatis omnino perfectissimae, neque justa suppeteret ratio Divinam bonitatem insimulandi, quod non alium perfectissimae entitatis, sed hunc, non omnino perfectissimae naturae producendum decreverit; cum ad justissimos, atque optimos ejus fines obtinendos, non alius ab hoc diversus, sed hic Mundus conduceret, neque is interim, quam qua pollet, entitatis perfectionem exigeret.

§. 91. *Obijc. II.* Deus est summe bonus, summe perfectus; Igitur actio, qua ipse operatur est per-

fectissima; sed per actionem perfectissimam, perfectissimae entitatis opus produci debet; Ergo hic Mundus est perfectissimus etc.

§. 92. R. dist. primum cons., est perfectissima in ratione principii, conc., ratione termini, neg.; et dist. min. subsm. Sed per actionem perfectissimam ratione termini, perfectissimae etc., conc., perfectissimam ratione principii, perfectissimae etc., n. min. subsm.; et consm. Actio Dei perfectissima est, quia essentia Dei, principium nempe, ex quo actio dimanat, et a quo imo nullimode distinguitur, perfectissima est; et quidem perfectissimus non esset Deus, nisi actio ejus perfectissima etiam foret ratione principii; non est autem perfectissima actio Dei ratione termini, seu ejus, quod actio connotat; nisi dicere velimus, materialem quoque esse Dei actionem, quando materialem rem producendam connotat: quo nihil esse potest absurdius. Jam vero necesse non est, ut si actio Dei perfectissima est ratione principii, perfectissimae quoque naturae, et entitatis sit opus, quod per eam actionem efficitur; alioquin quia actio est quoque principium ratione absolute infinita, dicendum erit, quodlibet Dei opus absolute infinitum esse debere; id quod nescio, an aliquis sit concessurus.

§. 93. *Contra.* Atqui Actio Dei in creatione hujus Mundi perfectissima ratione termini esse debuit; Ergo etc. Prob. subsm. Per hujus Mundi mirabile opus, Dei sapientia, bonitas, et omnipotentia cognoscitur; Atqui si actio Dei in creatione hujus Mundi non fuisset perfectissima ratione termini; hoc est si Mundum hunc perfectissimum, perfectione entitatis non efformasset, ejus sapientia, bonitas, et Omnipotentia ab hoc Mundo cognosci non posset; Ergo etc.

§. 94. R. conc. maj., at n. min. cum consa. Tantum abest, ut ex entitativa hujus Mundi perfectione, Dei existentia ejusque infinita sapientia, bonitas, utque omnipotentia cognoscatur, quin potius oppositum erueretur. Sane si non obstante hujus Mundi perspecta mutabilitate, atque deficientia ab infinita, et omnimoda perfectione, plures ex celebrioribus Philosophis tam Veteribus, quam Recensioribus, ipsius miro ordine, at-

que pulchritudine delectati, ipsum existimarunt vel ens aeternum, et a se (§. 11.), vel Deo coeternum, vel unicam substantiam cum Deo fecerunt (§. 32.); quibus absurdis vel ipsam Dei existentiam e medio tollere visi sunt, quid factum profecto foret, si entitativa perfectio in hoc Mundo splendesceret? Ex eo itaque potius Dei existentia, ejusque sapientia, bonitas, atque omnipotentia evincitur, quod sit finitae entitatis, et exactissime respondeat finibus a creatore praestitutis. Existentia quidem, quia cum hic Mundus sit contingens, et ab alio (§. 22.), a Deo ente necessario debuit esse creatus (§. 37.); proindeque Dei existentiam supponit. Sapientia, quia cum in Mundo omnia ordinatissima adeo sint, ut miram pulchritudinem efficiant, nonnisi entis sapientissimi potuit esset opus (§. 24.); bonitas; cum namque hujus Mundi creatione Deus extra se dignatus sit seipsum creatis rebus communicare, nobis praesertim hominibus, pro quibus talia, tanta, atque tam varia sive in Coelo, sive in terra, sive in mare produxit, quis est qui summam ejus bonitatem non commendet? Tandem omnipotentia; Ad creationem namque virtus omnino infinita requiritur (§. 401.), quae nonnisi in Deo reperitur; Adeoque etc.

§. 95. *Contra.* Atqui entitativae perfectionis debet esse Mundus, ut infinita Dei sapientia cognoscatur; Ergo n. r. Prob. subsm. Si Mundus hic perfectissimus non foret entitatis perfectione, dari posset alter Mundus isto perfectior; ratio itaque aliqua esse deberet, cur hic ceteris anteponeretur, ut Dei sapientia cognosceretur; Sed quaenam in Deo esse potuit ista ratio, praeferendo minus perfectum perfectiori? Ergo etc.

§. 96. R. ad argm. Cum Deus sit a se, et independens, nihilque agat sine summo consilio, ratione, atque sapientia, ratio utique ipsi fuit, et quidem cui nemo contradicere potest, Mundum hunc aliis inter possibilibus, perfectioris entitatis praeferendi. At quae praecise fuit haec ratio? Nemo fuit Dei consiliarius, ut scire queat. Hanc nihilominus esse potuisse cogitamus, quod hic Mundus, etsi entitativa perfectione aliis impar, magis tamen responderet finibus ejus, quam ceteri perfectioris naturae.

CAPUT II.

De finis perfectione, et an huic Mundo competat.

§. 97. *Def. Perfectio finis est rei consensus cum fine; sive est plurium consensus, et conspiratio sufficiens ad consequendum praestitutum finem* (§. 98. Ont).

§. 98. *Coroll. 1.* Ea itaque finis perfectione perfecta esse dicuntur, in quibus omnia ita sunt connexa, ut simul conspirent ad eum finem consequendum, quem vel Deus, vel homo sibi praefixit in eorum formatione. Hinc perfectus dicitur oculus, si quaecumque ad ejus structuram pertinentes, conferant ad claram, distinctamque objecti imaginem in eo depingendam, radiis ab objecto immissis. Quare

§. 99. *Coroll. 2.* Cum perfectione finis simul stare potest imperfectio entitatis. Potest nempe dari opus, quod sit perfectissimum perfectione finis; licet sit imperfectum relate ad aliud perfectioris entitatis. Dentur duae statuae, una ex auro purissimo conflata, ac miro artificio ab opifice elaborata, lapidibus pretiosis ornata, quae bipalmarem altitudinem non excedat; altera marmorea, et fere giganteae staturae, non satis perpolita; ex his porro, quaenam entitatis perfectior erit? prima utique, et quia ex pretiosa materia, et quia tota arte fabrefacta. At si quis vellet statuam emere, ut eam collocet super columnam praegrandem, atque altissimam in foro erectam, quamnam statuam seliget? haud certe parvulam, licet pretiosiorem, utpote fini suo magis congruentem seliget, neque propter hoc reprehendendus, imo laudandus foret, licet statum minoris perfectionis entitativae elegerit.

THEOREMA I.

In creatione hujus Mundi finem aliquem sibi Deus proponere debuit.

§. 100. *Demon.* Nam Deus, ens nempe necessarium, infinita pollet intelligentia, atque sapientia; Atqui omne agens intelligens agit propter finem; (§. 100. Ont.); Ergo in creatione etc. Q. E. D.

§. 101. *Coroll.* Quaecumque igitur ad consequendum finem suum necessaria erant in hujus Mundi creatione, adhibuit Deus. Finis enim sine mediis obtineri est impossibile (§. 103. Ont.).

THEOREMA II.

Finis Dei in hujus Mundi creatione fuit aliquod bonum, nondum possessum.

§. 102. *Demon.* Nam Deus est ens summe bonum, atque perfectum; nequit ergo non amare seipsum. Atqui seipsum non amasset, si aliquod bonum nondum possessum, sibi in creatione hujus Mundi non costituisset; Ergo etc.

§. 103. *Animad.* Cum legis, Deum in Mundi hujus creatione bonum, nondum a se possessum, pro fine sibi constituisse, cave putes, Deo ante Mundi creationem aliquid defuisse. Cum namque sit ipse ens perfectissimum, et quod nullius prorsus egeat, quia omnia actu possidet, nihil umquam ei defuit. Quare gloria ipsius interna, quae est collectio infinitarum ipsius perfectionum, non fen finis creationis hujus Mundi, hanc enim semper possedit Deus, et sine ea concipi nequit, bene

vero gloria externa, et accidentalis, quae ex earumdem ipsius perfectionum manifestatione proficiscitur; hanc enim ante Mundi creationem nondum possidebat Deus, quia nulli perfectiones suas manifestaverat, cum nihil existeret. At consequutus est ne Deus finem hunc suum, manifestandi nempe suas perfectiones, hujus Mundi creationem? Seu pressius, est ne hic Mundus ita perfectus, ut adamussim respondeat fini, ob quem Deus ipsúm creavit?

Variae sunt Philosophorum sententiae.

§. 104. Mundum hunc, quem incolimus, nedum imperfectum, sed malis innumeris redundare, Deo bono indignis, docuerunt Manichaei, Haeretici sic dicti a quodam impio, cui nomen Manes; unde et duo rerum Principia effectiva statuerunt, unum bonum, a quo bona fuerunt creata, alterum malum, mali, aerumnarumque auctorem; et quia per ipsos corpora sunt mala, ideo hunc Mundum corporeum, et malum esse dicebant, et a Principio malo conditum. Horum errores, omni fere aetate, plures habuere Sectatores, inter quos Albigenses, Saeculi XII., et Albaneses Saeculi XIII. Prae omnibus vero, qui Saeculo XII. Manichaeismum defendit, fuit Petrus Bayle, quem nostri temporis Increduli *Genium primi ordinis* appellant. Nec desunt alii, perfectionis hujus Mundi impugnatores, quos inter Veismanus Theologus Tubingensis, Buddeus, et Zimmormannus. Verum saniores Philosophi oppositum tenent, et sicuti docent, Mundum a Deo Optimo, Maximo, qui unicus est, et solus bonus, creatum fuisse, ita ipsum bonum esse atque perfectum sustinent, ea nempe bonitate, atque perfectione, quae finis dicitur (§. 97.). Cum quibus et nos; Unde.

PROPOSITIO

Mundus hic, quem incolimus, perfectissimus est, perfectione finis.

§. 105. *Demon.* Deus hunc Mundum ad finem (§. 100.), et quidem bonum (§. 102.) creavit, ad manifestandas nampe axterius suas perfectiones (§. 123); Atqui impossibile est., Deum fine suo frustrari; Ergo hic Mundus perfecte respondet fini a Deo intento in ejus creatione; Adeoque etc. Ulterius si hic Mundus perfectione finis perfectissimus non foret, Deus nec Omnipotens, nec infinite sapiens dici posset, quippe volens Mundi creatione suam gloriam exterius manifestare, aut non potuisset, aut nescivisset omnia Mundana entia sic efformare, atque taliter inter se connectere, ut finem suum consequeretur; Atqui hoc est absurdissimum, atque impium, cum constet, Deum in Mundi creatione non solum potuisse, et scivisse, sed et revera ea omnia posuisse, quae ad suum finem consequendum necessaria erant (§. 101.); Ergo etc. Q. E. D.

Adversariorum objecta refelluntur.

§. 106. *Obij. I.* Hic Mundus perfecsissimus non est si possunt esse species rerum longe perfectiores iis, quae modo in eo obtinent; Atqui revera res ita se habet; Ergo falsa propositio.

§. 607. R. dist. maj. Hic Mundus etc. perfectione entitatis, si possint etc., conc.; perfectione finis; n. maj., et contradist. min., n. consm. Cum Mundum hunc perfectissimum dicimus, non ea perfectione perfectissimum volumus, quae repetitur ex partium singularum entitate, sed quae ex partium singularum consensu cum finibus Creatoris unice existimetur; quaeque idcirco non entiatis, sed finis perfectio nuncupatur. Jam

vero utcumque fieri possit, ut singulae mundanae partes nobiliorem quamdam entitatem et naturam sortiantur, fieri tamen non potest, ut habeatur major earum cum finibus Dei consensio. Quapropter etsi perfectissimus dici nequeat Mundus entitatis perfectione, cum utpote finitus perfici semper ulterius queat, perfectissimus est tamen perfectione finis, ad quam perfectionem nihil conducit entitativa singularum partium nobilitas, sed solus earum consensus cum finibus Dei Creatoris, qui ubi desit, nulla haberi intelligitur finis perfectio, quamvis aliunde perfectissima entitate partes singulae esse fingantur. Quemadmodum sane perfectissimum ab artifice horologium eloboratum dicimus, in quo mira habeatur rotarum consensio in id, ut horas adcurate demonstret, qui utique est finis artificis, parum solliciti, an rotae ex auro, aut argento, aut ex ferro sint extructae; quinimo imperfectum horologium artificem elaborasse judicamus, cujus rotae, etsi aureae fuerint, ad tempus tamen exacte metiendum singulae non conspirent.

§. 108. *Contra.* Atqui nec etiam perfectissimus perfectione finis est hic Mundus, si possunt esse in eo species perfectioris ordinis, ac modo sunt; Ergo n. r. Prob. subsm. Ex concessis, perfectio finis consistit in consensu eorum, quae rem constituunt cum fine; Sed partes singulae hujus Mundi non consensiunt finibus Dei; Ergo etc. Prob. min. Non pauca sunt in Mundo, quae ad nullum finem facta esse intelliguntur, nec ullum finem habere conspiciuntur. Et sane quemnam usum a tot pulicum, culicum, aliorumque insectorum multitudine expectabimus? Ad quem finem factus esse poterit, ut de aliis sileam, albus ille vermiculus, quem super folia hypericonis observasse se asserit Pater de Lanis, qu vigintiseptem millionies deficiebat a magnitudine grani hordeaci? Ergo partes etc. i.

§. 109. R. dist. ans. Non pauca sunt etc.; hoc est non intelligimus cui fini sint ordinata, conc., ad nullum finem sunt ordinata, n. ans, et consam. Stulti sane, ac temerarii existimandi sunt, qui omnium rerum usus, et fines se intelligere posse praesumunt, et

ubi nullos, aut fines rerum, aut usus ipsi comprehendunt, nullos reipsa esse, impie blasphemant, non illud recogitantes, nihil ab optimo, sapientissimoque Deo fieri posse, quod non bonum sit, acsapientiae plenum, quodque idcirco non usum aliquem habeat, et finem, quem nostra interim imperfectio non adsequatur. Horum temerarias voces merito reprehendit S. Augustinus (Lib. 1. de Gen. Cap. XVI.), inquiens: *Si in opificis alicujus officina imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum caussas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat . . . . quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus ridet, et verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quae ignorant, sed cum ea viderint, credant esse necessaria, et propter usus aliquos instituta; in hoc autem Mundo, cujus conditor, et administrator praedicatur Deus, audent multa repraehendere, quorum caussas non vident, et in operibus, atque instrumentis Omnipotentis artificis, volunt se videri scire, quod nesciunt.* Ita Augustinus. Verum satius facerent homines, si plerarumque hujus Universi rerum ordinem, usus, ac fines intelligentes, etiam in reliquis suum ordinem, ac fines suos latere concluderent; uti namque omnia ejusdem artificis opera sunt, ita eadem quoque arte omnia extructa sint oportet. Jam vero unicuique patere potest nexus et ordo plurium Mundi partium, ac simul usum, ad quem factae sunt. Nimirum Sol est propter Tellurem, quam illuminat, et faecundat, ut ab Animantibus habitari queat. Pluvia Terram irrigat, ne calore Solis exuratur, et plantis, herbisque pabulum desit. Montes aquae pluvialis partem sinu suo continent; unde sensim exit ad opportunum herbis, ac plantis alimentum ferendum, cessante pluvia. Herbae pascua animantibus praebent, et medicamenta; planctae fructus. Animantia, alia aliis usui sunt; ratione autem destituta, saltem hucusque, pleraque hominum usibus destinentur. Quod si ad hominem oculos, mentemque convertamus, in eo deprehendemus incredibi-

lem, ac fere infinitam partium varietatem, ut merito propterea *Microcosmos*, seu parvus Mundus is sit appellatus; quarum tamen partium nulla sit vel exilissima, quae superflua videri possit, quaeque non ad usus aliquos, ac fines sit destinata. Ex his paucis intelligere debemus, omnia quae in Mundo sunt, usum, seu finem habere suum; omniaque idcirco exactissime cohaerere finibus Creatoris, licet, in quo ea cohaerentia sita sit, minime intelligamus, cum omnes rerum mundanarum usus, finesque in Mundi creatione a Deo praestitutos dignoscere, sit negatum mortalibus.

§. 110. *Contra*. Atqui licet fines Creatoris nesciamus in Mundi creatione, adhuc tamen clare agnoscimus, Mundum non esse perfectissimum perfectione finis; Ergo n. r. Prob. subsm., fines Creatoris, quicumque sint, non possunt tendere nisi ad bonum, et utile; Atqui multa sunt hominibus prorsus inutilia, nullumque illis commodum afferunt; Ergo etc.

§. 111. R. n. consm. Non omnia quaecumque producta sunt, solius hominis caussa producta sunt. *Non nos*, inquit Seneca (Lib. II. de Ira Cap. XVII.) *caussa sumus Mundo hyemem, aestatemque referendi; suas ipsa leges habent, quibus divina exerceantur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.* Non ergo propter hominem solum, qui est Universi pars quaedam infinitesima, cetera, quae in Universo obtinent, facta sunt; sed alios pleraque habent fines, ad quos constanter diriguntur. Perperam itaque colligitur inutilia prorsus esse, omnique fine carere, quae hominis commodo non destinantur. Quamquam fieri etiam potest, ut plura in hominis commodum instituta sint, quae interim inutilia nobis videantur, quod earum vires non adhuc nobis sint perspectae, quaeque sequuturis hominibus fortasse utilia videbuntur, si adeo illi futuri sint felices, ut ipsi detegant, quod nos ignoravimus; Quemadmodum, plura prioribus saeculis incognita, nobis cognoscere datum est.

§. 112. *Obijc. II.* In hoc Mundo mala immunera observantur, uti pestes, venena, tempestates irruentes etc.: Sed mala optimis finibus Creatoris consentire

non possunt ; Ergo hic Mundus finibus non consentit Creatoris; adeoque perfectissimus non est perfectione finis.

§. 113. R. dist. maj. In hoc etc., quae scorsim inspecta, mala sunt, conc; sunt mala inspecta cum relatione ad alias Mundi partes, n. maj., conc. min. in data dist., et n. utramque consam. Pestes, venena etc. hujusmodi, si seorsim considerantur, utique mala sunt, et ad finem a Creatore intentum minime consona videntur. Attamen si haec omnia ad totum Universum referuntur, neque mala censenda sunt, neque a Creatoris finibus dissona; nam quidquid in Universo accidit, totum a caussis efficientibus pendet, quae ad agendum ordinatae sunt, juxta fines Creatoris. Et quoad pestes, et tempestates, eae certe non semper, sed in aliquibus tantum circumstantiis obveniunt; idque ut detur locus cursui naturae, eaeque leges locum habeant, ex quibus tota Universi harmonia dependet. Venena vero, licet aliquando hominibus noceant, ejusque vitae insidientur, id non necessario praestant; neque ullum ex iis detrimentum pateretur homo, ubi is rebus suis optime consulere sciret. Sic namque habeo, quae venena modo sunt nobis, et mortis caussa, fore salutis caussam, si iis recte uti sciremus. Compertum est namque toxicum, et argentum vivum, separatim sumta, esse venenum, insimul autem mixta, medicamentum. De his cecinit Ausonius (Epigr. IX. in Eupim. Adulteram).

Dividat haec si quis, faciunt discreta, venenum;
Antitodum sumet, qui sociata bibet

Quapropter dubitandum non est, quin ipsa venena optimos habeant usus, dum quotidie observamus, viperas, scorpiones, aliaque animantia venefica, ad medicinam deservire. Deinde si sunt venena, sunt etiam medicamenta, quibus venenorum viribus occurratur. Ceterum, an ex quo creaturae aliquae aliquibus noceant inferre licet, eas malas? *Si aliquis* (verba sunt D. Augustini Opusc. VI. post init.) *intraret domum Fabri, et inveniret instrumenta, ad quae impingeret, et laeperet eum, et ex hoc reputaret fabrum illum malum*

quia tenet talia instrumenta, stultus esset, cum Faber ea teneat ad opus suum: ita stultum est dicere, quod creaturae sunt malae, quia sunt in aliquo nocivae. Nam quod uni est noxium, alteri est utile.

§. 114. *Contra.* Atqui mala, quae in Mundo obtinent sive seorsim, sive cum relatione ad res alias considerentur, finibus Creatoris non cohaerent; Ergo n. r. Prob. subsm. Mundus abundat peccatis; Sed peccata, cum sint offensae Dei, finibus Dei nec cohaerent, neque possunt cohaerere; Ergo etc.

§. 115. R. conc. maj. n. min. cum consa. Esto Mundus totus in maligno sit positus, atque peccatis abbundet; esto peccata sint Dei offensae, hinc et prohibita; adhuc tamen in aliarum rerum hujus Mundi nexu inspecta, tantum abest, finibus Creatoris non respondeant, quin potius ex iis summa gloria exterius Deo accedit. Deus enim, qui novit ex malis bona facere, ex ipsis peccatis, novit suam excellentiam ostendere, adeout quocumque modo peccata in Mundo spectentur, finibus Dei cohaerere cognoscuntur. Sane peccata vel permittuntur, vel tollerantur, vel puniuntur, vel condonantur. Si permittuntur, summa Dei in homines relucet dignatio, et liberalitas, qui ne privet hominem libertate, quae maximum est bonum, permittit ipsum in peccata prolabi cum sua offensa; Si tolerantur, summa Dei patientia, et longanimitas ostenditur, qui nolens impii mortem, sed conversionem et vitam, expectat ut misereatur; vel puniuntur, et summa Dei justitia commendatur; vel tandem condonantur, et infinita Dei misericordia, et clementia apparet. Igitur etc.

§. 116. *Contra.* Atqui peccata nullo pacto cum finibus Dei creatoris cohaerere possunt; Ergo n. r. Prob. subsm. Si peccata cum finibus Dei creatoris cohaererent, Deus ea non prohiberet, neque odio haberet peccatores; Atqui Deus ea prohibet, et odio habet peccatores; Ergo etc.

§. 117. R. dist. maj. Si etc. non prohiberet, si nulli alii fines Deo essent peccata prohibendi, conc., si essent, n. maj., et conc. min. in data distinctione, n. consm. Cum peccata sint divinorum mandatorum vio-

lationes, atque Divinae Legis transgressiones, quibus Deus offenditur, utpote peccator avertat se a Deo, ut convertatur ad creaturas, nequeunt propterea non esse mala, et a Deo, qui infinite bonus est, non prohiberi. Hoc autem non obstat, quominus ipsa, licet in se mala, et prohibita cum finibus Dei cohaereant. Si enim non cohaererent, Deus ea non permitteret; alias dicendum foret, Deum omnipotentem, sapientissimum, atque perfectissimum in creatione hujus Mundi, finem suum non fuisse consequutum, quod repugnat. Peccata itaque sunt mala, et a Deo summo bono prohibita; sunt tamen a Deo permissa, et fines ipsius ingrediuntur: *Nec dubitandum est*, ut cum S. Augustino loquar; (In Enchir. Cap. 96.) *Deum facere bene etiam sinendo fieri quaecumque fiunt male. Non namque hoc sine justo judicio sinit. Et profecto bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea, quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotenti bono. Cui proculdubio quam facile est, quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, non sinere.*

Atque haec de Cosmologia Metaphysica tironibus nostris exposuisse sufficiat. Quae ad completum et peculiarem Cosmologiae Tractatum a nonnullis Philosophis, sapienter quidem, congeruntur, praetermittenda existimavimus; eorum enim aliqua jam in Ontologia tradidimus; alia in Theologia naturali, tradenda reservamus; reliqua Physicis integre relinquimus. Unde sit.

COSMOLOGIÆ FINIS.

INDEX ONTOLOGIÆ

In Metaphysicam.

PROLEGOMENA.

METAPHYSICÆ PARS I.

NEMPE

ONTOLOGIA.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

METAPHYSICÆ PARS II.

IDEST

COSMOLOGIA

SECTIO I.

SECTIO II.